

BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
1 A
34

DE RECTA LATINI GRAECI'QVE SERMONIS pronūtiatione DES. ERASMI ROTERODAMI Dialogus.

EIVSDEM Dialogus cui titulus, CICERONIANVS, siue, De optimo genere dicendi. Cum alijs nonnullis.




HIS ACCESSERE,
IACOBI CERATINI, de literarū sono, libellus.
ALDI MANVTII, de uitiata uocalium ac diphthongorum prolatione πάρεργον.
ANTONII SABELLICI, de Latinæ linguæ reparatione, Dialogus.





COLONIAE,
Apud Io. Soterem,
ANNO MDXXIX.





GENEROSISSIMO ADOLESCENTI MAXIMILIANO à Burgundia, D. ERASMVS ROT. S. D.



QVOD tanto affectu nostras literas desideraris, MAXIMILIANE charissime, uehementer quidē grata mihi fuit amoris erga me tui testificatio, nec hac in re grauate morem gessi tuæ uoluntati. Nam licet obrutus uerius q̃ occupatus negotijs, tamen epistolam αὐτόγραφον ad te miserā, quod facile coniectarē, eā ita tibi fore chariorē. Cæterū, quod interceptam ægrius tuleris, q̃ si quid earū rerum perisset, quæ tibi maxime sunt in delitijs, magnā, ut ingenue dicā, ex tuo dolore uoluptatē cepi, non dubijs argumentis perspiciens, te quum in Annæ clarissimæ fœminæ, auiæ tuæ, tum in ornatissimi patris Adolphi principis Veriani, non uulgarē affectū, quem à teneris unguiculis in me conceptum, cōstanter, perpetuoq; retinuit, uelut hęreditario iure succedere. Verum ut dolorem istum, quem tibi nescio quorum inflixit perfidia, mea ciuilitate leniam, pro epistola mitto libellū, De recta pronuntiatione, quam hodie maxima ex parte corruptā habemus in Græcis iuxta ac Latinis. Hoc argumentum tibi dicare uisum est, non tantum



eò, quod ætati, studijsq́ tuis uideretur accōmodum, uerum etiam quod magnam exemplorū partem ex Batauorum, Brabantorum & Gallorum popu lari sermone produximus, quas linguas omnes tibi non incognitas esse sciebam. Vt autem mate riam, quoniam de rebus minutis subtiliter disserit, per se minus amœnam, aliqua uoluptatis ille cebra lenocinioq́ commēdaremus, dialogo rem tractauimus, subinde nonnihil aspergētes quod lectiōis satietatem uel recreet, uel excludat. Por rò quanq̄ audio te Louanio in aulicam uitā auo cari, nihil eo rumore deterritus sum à dedicationis instituto, sciens & in aula, præsertim Cardinalitia, dari locum studijs. Nam pietatis affectū, quem unà cum literis, ex Ioanne Borsalo, Decano Veriensi, uiro quū egregie docto, tū singulari morum integritate sanctitateq́ prædito, iam pridē hausisti, nō oportet nec in aulis, nec in castris deponere. Ita fiet, mi Maximiliane. ut & laudatissimū Cæsarē, quē nomine refers, ornamētis expri mas, & clarissimis maiorum tuorum imaginibus, plu rimū decoris ac lucis apponas. postremo aulæ Cæsareæ, totiq́ patriæ, non uulgarē adferas utili tatē. Si libellus hic placebit, pro tuo candore cōmunicabis adolescēti diuina indole prędito MAXIMILIANO ab Iselstein, reliquisq́ sodalibus tuis, quibuscū tibi non tā generis, opū, aut digni tatis, q̄ eruditionis ac probitatis longe pulcherri mum certamen susceptū est. Bene uale. Datū Basileæ, anno à Christo nato, M D XXVIII.

DES. ERASMI ROTERODAMI, DE RECTA LATINI Græciq́ʒ sermonis pronunciatione Dialogus.

Personæ,

VRSVS, & LEO.



RSVS. Sit felix occursus, optime Leo, nã totos sex menses te non uidi. LEO. Istuc nõ temere precaris, Vrse, neqʒ enim quibuslibet bene cessit occurrisse Leoni. VRSVS. Næ uenuste, Leo, Imò ne Vrso quidem. LEO. Istuc sane malo tibi credere q̃ facere periculũ, tametsi legimus Leonem inter bestias fortissimum ad nullius occursum expauescere. Cæterum diuinę literæ testantur esse formidabilem occursum Vrsæ, cui sint erepti catuli. VRS. Quæso quid loquuntur de Vrsa? LEO. Liber Regnorum secundus sic habet, Viros fortissimos & amaro animo, ueluti si Vrsa raptis catulis in sylua sæuiat. VRS. Quid præterea? LEO. Solomon parœmiographus hunc in modum loquitur, Expedit magis occurrere ursę, raptis fœtibus, q̃ stulto confidenti. Et apud Osee prophetam ita mini

tatur deus, Occurram eis quasi ursa raptis catulis. VRS. Sit igitur impauidus Leo, quum bestia bestijs occurrit. Nam si qua fides apologis, Leo bestia fassus est formidabilē hominis occursum. Nunc seculum est aureum, quo Leonis Vrso, Vrsi Leōi lætus ac faustus est occursus. Opportune uero catulorum facta mentione mihi, redigis in memoriam, ego tibi magnopere gratulor. LEO. Quo tandē nomine? VRS. Quod tibi catulus dominatus est. LEO. Hoc omen auertant superi, ut mihi catulus dominetur. VRS. Aio dómi nâtū, audis accentum acutum in priore uoce, in posteriore circūflexum. LEO. At istud magis etiā abominandum. An tibi uideor canis? VRS. Minime, Leonem esse te non potes inficiari. Habent autē & Leones catulos. LEO. Habent profecto, uerū habent & Vrsi. VRS. Vera prædicas. Nam Vrsula mea parit mihi plures catulos & catulas q̄ uelim. LEO. Quot tandē? VRS. Quot? Examē est, iam pridē desii numerare. LEO. Quur igitur mihi gratularis, quod in te ipso deploras? VRS. Quia soles frequēter optare, ut tua Leæna pareret tibi leunculum. Nunc habes optata. Nos uotorum compoti gratulamur. LEO. At hic leunculus me iam nunc solicitū habet. VRS. Quid est rei? Nū puer habet male? LEO. Nequaq̄, Sed meditor efficere, ut uere catulus hominis uideri possit. VRS. Nū forma prodigiosa fœtus est? LEO. Nequaq̄. Imò si uideas dicas scitum infantem. At forma nō facit hominem, quam habemus comunem cum

statuis

statuis. Animo sumus, uel homines, uel bestiæ. VRS. vnde quæso isthæc incessit animo tuo cura? LEO. Quia Galenus me docuit, hominē à cæteris animantibus, quæ uocamus ἄλογα, discerni non ratione, sed oratione. VRS. Intelligo, metuis ne tuus infans, semper sit infans. LEO. Nequaq̃. Videt enim satis linguax futurus, adeò nunc garrit, nimirū matrē referens. V. Quid igitur metuis? LEO. Quia uideo cōplures non humana uoce loqui, sed latrare cū canibus, hinnire cū equis, grunnire cùm suibus, mugire cum bubus, gannire cū uulpibus, stridere cū cicadis, blaterare cū camelis, barrire cū elephantis, frendere cum apris, fremere cū pardis, gemere cū ursis, rudere cum asinis, balare cum ouibus, strepere cum anseribus, garrire cum picis, cornicari cū cornicibus, crocitare cum coruis, crepitare cū ciconijs, sibilare cū anseribus: deniq; quoduis animal referre potius q̃ humano more loqui. VRS. Næ tu, per anserē, uoces animantiū probe tenes, nec prorsus abhorrent à uero quæ prædicas. LEO. Ad hæc perspicio, quantopere recta pronuntiatio commēdet orationē, adeò ut interdū duobus eadē lingua pronuntiātibus, alter ueluti citharœdus quispiā modulatissime canens, aures omniū habeat intētas, alter molesto latratu tædium moueat omnibus, nec alia uideatur pronuntiatio, sed alia prorsus oratio, imò quiduis potius q̃ oratio. VRSVS. Quod dicis sæpenumero comperi experimēto. Sed tu, mi Leo, præpropere curā istam suscipis.

Tuus enim infans nondum uagire desiit, & tu solicitus es quomodo loquatur? LEO. Ego nullam ætatem ad discendam arbitror immaturam, præsertim in his quibus discendis statim natura cõposuit, &, ut ita loquar, finxit hominem. Quorũ de numero cũ primis sermo est. Nec em̃ magno negotio canum fœtus discũt adulari, aut leporẽ cursu petere. Mox ut natæ sunt simiæ incipiunt gesticulari, protinus ut nati sunt aquilæ pulli, ad prædam gestiunt, & felium catuli muribus insidiantur, equorum filij statim ad cursum properant, ut aues ad uolatum: nõ perinde successura re, si boui clitellas imponas, aut bubalum ducas ad certamen equestre. Prouida natura primũ earum rerum docilitatem inserit, quæ cuiq; animãti propriæ sunt, & ad uitam tuendam necessariæ. Dum enim repit puer, dum nihil humanæ uocis ædit, quadrupedi uidetur adsimilis, nec agnoscimus hominem. Verũ ubi iam nostra uerba meditari cœperit, tum demum ut ex nobis prognatũ exosculamur. Et uidemus in pueris recens natis, uelut in psitacis, studiũ quoddam natiuũ, ac uoluptatem etiam æmulandi, reddendiq; quod audierint tãta docilitate, ut prius auribus agnoscãt consuetas uoces, q̃ oculis dinoscant uultus. VRS. Istuc ego in meis catulis magna cum uoluptate frequenter animaduerti, risiq;. LEO. Præterea nihil uidemus in omnem ætatem hærere tenacius, q̃ quod rudibus illis annis, & cum lacte, quod dici solet, nutricum imbibimus. VRS. Sic est profecto.

cto. LEO. Proinde si cura fingimus tibias infan tum ad gressum, si buccas, os, faciem ac reliquũ corpus uincturis quasi formamus ad decorem, oculis etiã studio prospiciẽtes, ne peti, strabi'ue, aut alio quopiam uitio deformes euadant, quanto magis curandum est, ut lingua studio nostro formetur, quũ non aliud membrũ sit uolubilius, & in omnia sequacius, tum ex hoc pẽdeat totius hominis decor ac felicitas, in summa, ut homo sit non belua. VRSVS. Id satis declarauit noster ERASMVS, qui nuper De lingua hominis lingua cissime scripsit. LEO. Proinde iam nũc circũspecto, si quem nancisci queam bonum poetã, cui mox catulum meũ, dum adhuc uda est argilla, tradam in sinũ, ut fari discat. VRS. Quorsum tandem opus est poeta, nisi forte compotationem instituis, ad quã si non adhibebis nisi bonos poetas, habebis admodum rarum conuiuiũ? LEO. Equidem sequor monitorem Oratiũ apud quẽ legi, Os tenerum pueri, balbumq; poeta figurat. VRS. Possunt quidem & istuc boni poetæ, uerũ Oratius, opinor, non adeò contempsit poetas, ut eos infantulis erudiendis uellet occupari, quod literatorũ & grammatistarũ est munus. Sed quoniam poetarum scripta primum omnium ætati rudi proponebant, unde ceu per lusum & lectionem & pronuntiationem & electissima quæq; rerũ uocabula discerent, sic à poeta dixit, os pueri figurari, quemadmodũ Demosthenes diceretur me Græce docere, si quis Græce peritus mihi

Demosthenē prælegeret. LEO. Hic tecū non cō-
tēdero. Nam parui refert. Quanq̃ arbitror Philip-
pum regem sapuisse, quū Alexandrū suū statim,
ut natus est, tāto philosopho traderet in gremiū.
Bonū igitur grammaticū mihi quæro. VRS. Nec
isti minus rari sunt hodie, q̃ boni poetæ. LEO. Ri
diculū, quasi grāmaticorum non plena sint omnia.
VRS. Πολλοὶ βουκύνται, παῦροι δέ τε γῆς ἀροτῆρες. LEO.
Imò tam uilis est ubiq; grāmaticorum annona, ut
tres minoris liceant, q̃ unus cantherio. VRS. Rur
sus audies illud è Græcorum triuijs, πολλοὶ μὲν ναρθηκο-
φόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι, nisi forte tu grammaticū
esse putas, qui salutatus latine, citra solœcismum
norit resalutare, nec in numero peccās, nec in ca-
su, nec in genere uocis. LEO. Hoc nunc uulgo pu
tant esse grammaticū. VRS. Atqui Quintilianus
præter illas notissimas præceptiones à grāmati
co exigit enarrationē poetarum, cognitionē histo-
riarum, peritiā antiquitatis, scientiā utriusq; linguę,
copiā emendati lectiq; sermonis. Super hæc oīa,
non satis est illi grāmatice dicere, nisi & latine di-
cat, quorum illud è præceptionibus & analogijs pe
titur, hoc ex latine loquentiū cōsuetudine. LEO.
Eadē opera exiget à grammatico cognitionem
omniū disciplinarum, quandoquidē in poetis fre-
quenter incidunt, quæ ad musices, geometrices,
arithmetices, astrologię, medicinæ mysteria per
tinent: adde his si libet magicen. Nam absq; rerū
naturaliū & cosmographiæ scientia, quis est lo-
cus in poetis, quem recte possit exponere gram

mati-

maticus? VRS. Vt ciuiliter agas cum grãmatico, nec exigas exquisitã har℞ re℞ scientiã, certe rudẽ ea℞ non oportet esse, quem dignum censeas cui pueritiã credas instituendã. Nec enim quoniam grãmatici est enarrare Arma uirumq́;, protinus exigemus ut sit Pyrrhus, aut Annibal: aut quoniam enarrãda Maronis Georgica, sit peritus agricola: aut quoniã exponenda Aeneę nauigatio, sit absolutus nauclerus, non magis q̃ si tractet locũ de re culinaria, flagitamus ut sit Apitius. Attamẽ quid dicet grammaticus, qui prorsus nescit telorum machinarumq́; formas & usus, qui non intelligit figuras in ordinem digesti exercitus? His quidem rebus interfuisse, non parum cõtulerit: id si non contigit, ex libris autorum, ex eo℞ qui interfuerunt narratione, ex picturis, quantũ grãmatico satis est, discere licebit. Ad eandem rationem de cæteris sentiendum arbitror. LEO. Istud grammaticorum genus fortassis olim fuit, nũc obsoleuit. VRS. Prorsus, & ideo liberi nostri postea quam apud istos penè consenuerunt, tales redeunt nobis domum, ut uix arboris, aut piscis, aut herbæ uerum nomen possint ædere. Verum si seria nobis esset reip. cura, nihil uetat quo minus & hęc secula sint habitura Seruios, Donatos, Victorinos, Terentianos, Asperos, Cornutos, celebriora nomina, quàm sint aliquot Cæsarum. nũc grammatici cognomẽ penè sordidius est quàm pellionis aut aurigæ. VRSVS. De reliquis nescio, certe Asperos & Cornutos non deesse

scio,

ſcio. Et tamen ex huius diſciplinæ neglectu ſcatet or[illegible] tam pudēda diſciplinarum & optimorꝝ au[illegible] internecio, tamq́ꝫ fœda balbuties. LEO. Ad quos iſta cura pertinet? VRS. Ad quos? niſi ad principes ac magiſtratus, aut certe ad præſules? LEO. Quam aliam ab his curam exigis? Nonne paſſim habent ludos literarios? Nonne magnis prærogatiuis & immunitatibus principes ornant academias, deſignatis etiam iuſtis ſalarijs? Lutetiæ quot ſunt collegia pueris erudiendis dicata? Iſta præſulum eſt liberalitas. Fuiſti ne unq̃ apud Anglos? VRS. Inſulam omnē luſtraui. LEO. Quàm illic uides regias collegiorum ſtructuras, nec deſunt ampli cenſus prouocandis, alendisq́ꝫ iuuenum ingenijs. Iſta principum ac præſulum eſt munificētia. Quid ultra flagitas? An expectas ut ipſi ſedeant in ludo docturi pueros? VRS. Nequaq̃, etiamſi ſummum illum præſulem Gregorium non puduit ludimagiſtrū agere. Duo quædam ab illis requiro, delectū magiſtri, & præmij pro merito docentis moderationem. LEO. Non ſatis aſſequor quid tibi uelis. VRS. Dicā craſſiore Minerua. Ad huius aut illius commendationem quemuis ludo præficimus, ferè indoctum, interdum & moribus improbis, non huc ſpectantes, ut rei chariſſimæ, ciuium liberis omnibus conſulamus, ſed ut unius famelici uētri proſpiciamus, accuratius proſpicientes cui committamus unū equum, aut canem uenatorem, q̃ cui credamus totius ciuitatis pignora. LEO. Haud multū aber-

ras à scopo. VRS. Iam si quem nacti fuerimus di gnū ea prouincia, nulla habetur hominis ratio, neq; pilo fit pluris q̃ quiuis alius è plebe. Imò ma lunt bellum compotorem, q̃ uigilantē pueritiæ formatorem. LEO. Quid hic tu facturus sis, sit ti bi delegemus magistratū? VR. Vtinā delegetur. LEO. Creamus te Musis fauentibus studiorū dicta torem, cura ne quid resp. literaria capiat detrimē ti. VRS. Primum ex omni ciuium numero deli gam mihi uirum ætatis non quidem decrepitæ, sed tamen prouectę, uigilantem, industrium, bo næq; fidei, qui maximam ætatis partem in hoc li terarum genere non infeliciter transegerit. LEO. Quid si talem inter tuos non inuenias? VRS. Accersam uel à Gadibus, ut aiunt. huic nō præscri bam certum salarij modum, uerum ea formula paciscar cum eo, qua conuiuator ille, cuius me minit Aristoteles, cum citharœdo, sed fide melio re, quò diligentius fideliusq; docueris, hoc plus feres à nóbis prēmij. Si fefelleris expectationem nostram, teipsum magis q̃ nos fefelleris. Sin re spōderis, efficiam ut dicas tibi cum rep. nequaq̃ ingrata rem esse. Sin, quod optamus, etiam supe raris, non patiemur, quod quidem in nobis erit, nostram benignitatem officijs tuis superari. Ad hoc certamē accingere bonis auibus. LEO. Quis istum deliget? VRS. Quis alius q̃ ego dictator? LEO. Verū de arte negant recte iudicare quenq̃ nisi artificē. VRS. Fateor. LEO. At quid faciet di ctator ipse literarum rudis, ut ferè sunt qui magi stratum

ſtratum gerũt? VRS. Ex eruditorꝝ ſuffragiis rem gerã. LEO. Atqui hic rurſus fallet delectus, ſi uel imperitus ſit, uel praue doctus, uel malæ fidei, is cuius iudicio niteris. VRS. Eum deligam quem fama potiſſimũ commendarit. LEO. Famam mi hi narras? At pauciſſimis, ô bone, tutum fuit fa mæ credere. VRS. Colligerem eruditorum puncta. LEO. Eódem relabitur quæſtio. Quid ſi pro eruditis deligas eruditionis oſtentatores, quid ſi impoſtores, quid ſi ſiniſtri iudicij homines? Noſti palliatos iſtos ſine quibus nihil rerũ geritur. Improbitas, fuci, præſtigiæ. quæſtus omnia uitiãs, faciunt ut delectus ſit difficilimus. V. Veris uincor, optarim te uana loqui. L. Sed ut feliciter eligas, & in his quos ſelegeris ſint aliquot uere docti, utri parti ſubſcribes uariantibus ſententijs? VRS. Maiori. L. Sed nunq̃ ea fuit, aut eſt, aut erit felicitas rerum humanarum, ut quod optimum eſt, pluribus approbetur. V. Non mentiuntur omnia. Et uir qui ſapit, quiq́; ut Plautus ait, acetũ habet in pectore, ex multis coniecturis aliquanto certius diuinat, quàm quiuis augur, aut aruſpex ex auibus præpetibus & oſcinibus, aut ſoliſtimis tripudijs, aut extorum fibris. poſtremo in re tam ſeria, non grauabor comprecari diuos, ut ſuo fauore rem bene fortunent. L. Caſſianũ opinor. V. Imò CHRISTVM ipſum. Nec enim illorum curam poſuit, opinor, quos ſemel complexu ſuo dignatus, iuſſit ad ſe perferri, beneq́; precatus eſt illis, qui quod precatur, idem præſtare

ualet,

ualet. L. Sed quas tandem coniecturas mihi narras augur & aruspex? V. Exquirã num bonis prognatus, num liberaliter educatus, num proborũ conuictu delectetur, num ipse probatis hominibus charus sit & amicus, num magis delectetur libris, quàm cõpotationibus alea'ue, obseruabo mores, gestũ ac sermonẽ hominis, an neq; segni demissoq; sit ingenio, neq; rursus iracundo ac iactabundo. Deniq; contemplabor uultũ, frontem & oculos hominis. L. Iam ex augure fies physiognomus. V. Dispiciam quales euaserint, quos ille formandos susceperat. L. Hominis cordati sermonem audio. Nemo statuã faciendã locat artifici, nisi prius inspectis aliquot signis, quę ex illius officina prodierint, & citra specimen omne liberos formandos temere cuiuis committimus, diligẽtiores in ære marmore'ue credendo, quàm in his quæ nobis chariora sunt, q̃ sumus ipsi nobis. V. Recte dicis. Ex tot igitur rebus an dubitas hominem non omnino stultũ, & usu rerũ edoctũ, posse certo diuinare? L. Certius, opinor, q̃ ipse Calchas Homericus. Verũ in re nõ magna uideberis magnã operã sumere: sic literatorẽ deligẽs, quasi deligas præsulem. VR. Aliud sonant chordæ tui pectoris, uir egregie, aliud linguæ plectrũ. An tu credis minus referre ciuitatis, ut sit probus pueritiæ formator, quàm ut sit probus Episcopus? Eadẽ est utriusq; functio, nisi quod hic fingit ætatem teneram, ille adultam, atq; ut par sit ars, literatoris operosius est negotiũ, & ob hoc utilius,

quod

quod materiem fingit magis obsequentem digitis. L. Quid igitur superest, nisi ut grammaticū ijsdem ornes insignijs, quibus Episcopū, unctione, chirothecis, mitra, gemmis, pedo, pallio? VR. Nihil absurdi fuerit, ô uir præclare, utcunq; rides. Quanq̄ quid refert? Habet ille pro pedo ferulam, & si magis placet regalis collatio, habet pro solio cathedram, pro fascibus & sceptro uirgā & ferulā. L. Adde pro satellitio pediculos. V. Leges figit ac refigit pro suo arbitratu, pœnas sumit ac remittit, &, quod est regali potestate sublimius, perpetuā agit dictaturam. Nam illis dictare quotidianum est. L. Dictant nimirum usq; ad rauim interdum, capitisq; uertiginem. Sed extra iocū, plane fateor nihil esse regno similius, q̄ agere ludi literarij magistrum. Nec aliud spectabat Nero, si contigisset excuti regno, nisi ut alicubi ludo præfectus musicam doceret & literas. Nec moriturus aliud deplorabat, quàm quod tantus artifex periret. Nec Dionysius sibi uidebatur prorsus regno spoliatus, posteaquàm Corinthi ludi præfecturam esset adeptus. VR. Vtinam pleriq; non sint tyranno similiores q̄ regi. L. Habes igitur grammaticum ex animi tui sententia: libet enim hoc fingere. Quomodo tractas hominem? VRS. Non sinam esse inter sordidos, sed optimis & honoratissimis quibusq; ciuibus eum tradam, ut intelligat se uiuere in ciuitate, in qua uirtuti recteq; factis habeatur honos. Nec tamē ad aliud munus uocari patiar, q̄ suscepit. Sola ætas ingrauescens

Nero.

ſcens impetrabit illi rudem, ſic tamen ut fruatur ſua uirtute, & conſilijs adſit, ſi minus queat opera. Currenti adhibebo antagoniſten, qui citra cõtentionis amarulentiam uiciſſim & excitetur & excitet. L. Quid ſi gaudeat commutare locum, ut ferè eſt hoc hominum genus? V. Alligabo catenis aureis. L. Tui collegæ non patientur tanti conſtare ludimagiſtrum. V. Verum tu uideris oblitus, quòd mihi paulò ante tradideris dictaturã. L. Sic eſt profectò. Exciderat, ſed reddo dictaturam. V. Imò, ſi uis, iam pono magiſtratum, & collegis meis perſuaſurus ſum, ut alibi potius quàm hic ſint frugales. L. Quibus rationibus id efficies? V. Primum oſtendam ex hoc fonte potiſſimũ manare ſalutem aut perniciem ciuitatis. Cõmemorabo quantum ex ærario depromatur in res penè nihili. L. Omitti poterat iſtud penè. V. Ad hæc, quot Canonicos alit una nonnunquã eccleſia, quorũ ſinguli quotannis capiunt aureos quadringentos? L. Et eo amplius apud nos. V. Non hæc eò dico quod illis inuideã. Dignos arbitror uberioribus præmijs, ſi ſuo fungãtur officio. Sed illud mihi dicas, uelim, uter plus adfert momẽti ad commoda reip. unus Canonicus, an unus ludimagiſter? LEO. Ludimagiſter ſi modo probus ſit, plus adfert utilitatis, quàm tres Canonici, quãlibet in templi ſtatiõibus aſſidui. V. Quur igitur alter clarus, alter ſordidus habetur: alter cum dignitate capit cenſus uberes, alter uix tantum ut famẽ effugiat? L. Vis igitur, ut ludimagiſtro du-

plum & dignitatis & census decernamus? VRS. Minime. LEO. At promeretur plus q̃ trium. V. Dignitas ac præmiũ paratũ digno pariter atq; indigno, inuitaret improbos ad prædã, que madmodum nunc contẽptus & mercedis exiguitas alienat probos. LEO. Quid ergo facies? V. Ego hæc nolim muneri coniuncta esse. sed meritis & officio tribui ac dispensari uerius q̃ dari. L. Perdifficilis est prouincia, & ad otiũ procliues sumus omnes. V. Eoq; crebris adhortationibus ac munusculis excitarem hominis industriã, nec omnino committerem eam prouinciã, nisi dilig ẽter edocto, q̃ arduum munus susciperet. Quin & sanctissimo iureiurãdo adigerem, quemadmodũ olim magistratus tradebatur consulibus, preirem formula, Deuoueo me meosq; omnes, si quid sciẽs fefellero. L. Adiunge & Iouem lapidem. V. Quid ni? Et si quid hoc etiam firmius. L. Quid si incidisses in impostorem? V. Eum è suis ornarem uirtutibus, ut ne quis alius facilè sciens idem auderet in posterum. L. At noui ciuitates non in postremis celebres, ubi cõducti professores insigniter eruditi, non inueniunt qui uel gratis audire dignentur. V. Ignauum hominum genus mihi narras, quod nuper sub umbra pietatis cœpit exoriri. hos ergo ueluti fucos ab aluearibus abigerem. Quanq̃ & huius rei bona pars in professoribus sita est. Non enim minus est accendere studiũ adolescentis, q̃ alere. Facile multa discit, qui discendi est auidus. Proinde nõ parum promouit, qui do-


cuit

cuit amare literas. L. Istiusmodi doctorem optare procliuius est, q̃ nãcisci. V. Verissima prędicas, atq; istud ipsum frequenter apud me demirari soleo. Multos incitat pietas, ut ex ultimis terræ finibus proficiscantur Hierosolymam, magno rerũ dispendio, nonnullo item uitæ periculo, quidam nudis pedibus, nõnulli etiam lorica cilicio'ue cutem affricantes Romam aut Compostellam adeunt. Multis hic incessit affectus, ut relictis omnibus, quæ possident, dedant semet in arctissimũ uitæ genus, puta Cartusianorum, Guilhelmitarũ, aut Brigidensium. Nec defuerunt qui sese in speluncam abdiderint, nunq̃ inter homines prodituri, nec solẽ hũc communẽ aspecturi. Ex tot hominum milibus mirũ est tot seculis neminẽ existere, qui gratis suoq; sumptu pueros formãdos suscipiat. Si labor quæritur, hic laboris abunde est. Sin utilitas, quibus obsecro modis queas uberiorem utilitatem adferre rei Christianę? Sin pietas, quod tandem sacrificium deo gratius offerre possis? Si benefacta metimur charitate, quid cõfert proximo, si Compostellam, Romam, aut Hierosolymam curras? Eos labores arbitror deo gratissimos, qui cum plurimorum utilitate coniuncti sunt. Hi cum nusquam desint, quid attinet alios accersere, qui, si quid conducunt, uni conducunt, aut certe paucis, & his ad quæstum uerius quàm ad pietatem? Reperiuntur qui suas opes largiter effundant, extruendis templis. Fateor pium esse sumptum. Verum ex

tot millibus demiror adeò paucos exoriri, quos iuuet hic esse benignos. LEO. Satis feliciter agetur cum rebus humanis, si uel pretio conduci queant. VRS. Quid causæ? LEO. Quid, nisi plerisq; in rebus præpostera cæcaq; mortalium iudicia? VR. An his non putas esse medendum? LEO. Medere mari, si potes, ut dulcescat. Sic sunt res & ingenia mortalium. VRS. Huc certe adnitendum, ut minus habeant mali, si, ut bene, perfici non potest. LEO. Licet quidē optare. VRS. Quid uetat, quo minus & efficere? LEO. Nihil facilius, modo queas efficere, ut sapiant homines. Nunc maxima pars mortaliū amat falli: adeò ut si desit qui id faciat, ipsi imponant sibi. VRS. Nimiū uera loqueris. LEO. Quin & illud obseruatū est mihi, uix unquam usu uenire, ut fidelis pueritiæ formator operæpretium ferat ex suis discipulis, quū norim multos pueritiæ corruptores, hoc est, qui non minus male studijs illorū prospexerint, quàm moribus, hoc quæstu magnifice locupletatos. Sanè id fato quodam fit, siue ætatis illius inscitia, siue ingratitudine, ut iam non temere uideatur Græcorum prouerbio dici, Beneficiū nō esse conferendum, nec in puerum, nec in senem, in hunc quia perit antequā gratiæ referendæ detur opportunitas, in illum, quia nō meminit. addendum autem erat, quia nō intelligit, & si intelligit, odit hoc beneficij genus. VRS. Aetas adferre solet iudiciū. LEO. Fateor, in nonnullis, in plerisq; malitiam adfert. VRS. Sic est, sed tamen nō-

nullis

nullis in tractāda ætate tenera deest dexteritas. Non enim satis est præceptorem esse doctum ac probum uirum: comitas quædam & commoditas adsit oportet, qua & ferat ætatis, quam tractat, inscitiam, & semet ad illius naturam accommodet, nutricū uidelicet exemplo. Quemadmodū in medico non satis est nosse, quod pharmaci genus sit præscribendum, nisi sit artifex administrandi. Nam & fallendus interdum est ægrotus, ut beneficium imprudens accipiat. LEO. Vnde tanta rerum humanarum infelicitas? Pueri nec sentiunt beneficium, nec meminerunt, Iuuenes non ferunt habenas, senes non referūt gratiam. Et aiunt, quod mulieri benefeceris, ferè perire. V. Vnde? nisi ut Christianę charitati nusquā deesset exercendæ benignitatis materia. Quæ si desit, nihil effecerit humana prouidentia. Quin potius sæpenumero fit, ut quæ sunt summa cura summaq; ratione constituta, uergāt in partem deterrimam. Quod enim ad scholas attinet, nihil olim uidetur prætermissum, quod hominis consilio prospici quiret. Institutæ sunt scholæ, quas ab omnium disciplinarum publicam professionem uulgus appellat Vniuersitates. In has & Romani Pontifices, & principes contulerūt quicquid potuerunt uel dignitatis, uel munificētiæ. extructa collegia, digestæ disciplinæ, designati professores, addita salaria, distincti incipientiū, proficientium, consummatorum gradus, honores, & emolumenta. Prospectum est & tenuibus, qui illic



pleriq; ditescunt. Habent rectorem, sceptrigeros, cancellarios, conseruatores, decanos, aliosq; magistratus. Quid quæris? Regnum quoddam esse dicas literarium. Iam de minoribus scholis non segnius est habita cura. Harum cura bifariã partita est. ut præcipua sit penes sacerdotũ collegiũ, altera penes magistratum. additus est peculiaris huius negotij præfectus, quem Scholasterẽ uocant, sub hoc ludimagistri. Et tamen tam solicita prouidentia non potuit efficere, quo minus in omnib⁹ fere scholis seculis aliquot regnarit operosa barbaries. Proinde Ioannes Coletus, uir æterna dignus memoria, quũ templo diui Pauli scholam puerilẽ addidisset, nulla cura magis torquebatur, q̃ in quos eius rei præfecturam delegaret. Episcopi iudicant hanc rem indignam sua solicitudine. Scholasteres censibus recipiendis se potiusq̃ scholæ curandæ datos arbitrantur, & pulchre sibi uidentur suo functi officio, si ludimagistros non decimẽt. In collegijs Canonicorũ fere semper deterior pars superat. Magistratus uel iudicio carent, uel indulgent priuatis affectibus. LEO. Quid tandem cõsilij reperit? VRS. Hominẽ coniugatum, & liberis diuitem scholæ præfecit. Prouisionẽ delegauit aliquot e ciuibus laicis, quorum probitatem habere sibi uidebatur exploratam, ut ab his in hæredes proximos deriuaretur. LEO. Num ea prouidentia securum reddidit? VR. Minime. Sed hic aiebat sibi uideri minimum esse periculi, ut tum habebant res humanæ. L. Vnde

nunquã

nunq̃ illorũ iudicio potui subscribere, qui uitijs hominum offensi, protinus tollendum censent quod institutum est, ueluti monasteria quidam censent abolẽda, quod in quibusdam collapsa sit uera religio: præsulum & Canonicorum ordinem postulant abrogari, quod nonnulli secus quàm decet uiuant. Idem decernunt de ludis & pædagogijs, quiá displicet quorundam institutio, qua si statim quod in horum locum fuerit substitutum, aut cariturum sit omni crimine, aut in uitium non facile possit degenerare. Quanto satius est id, quod recte fuit institutum, sarcire, ad quædam interim conniuentes, id quod eò facilius erit, si reputemus rerum humanarum cõditionẽ, In quibus ut sint prosperrimæ, nihil est ab omni parte beatum, semper erit quod desideres, quod sarcias, quod instaures. LEO. Est igitur aliquid ꝑspicere fontes unde scatet malũ, deinde qua ratione liceat mederi. VRS. Ne recedamus ab instituto, huius mali præcipua pars mihi uidetur oriri ex publicis scholis, quas ambitioso uocabulo, ut dixi, nunc appellãt Vniuersitates, quasi nihil absit bonæ disciplinæ, tum ex monasterijs, præsertim ijs, in quibus instituuntur ad doctrinã Euangelicam, quod genus sunt Dominicanorum & Franciscanorum & Augustinensium. In his enim adolescentes uix trimestri studio grãmaticæ dato, protinus rapiuntur ad sophisticen, dialecticen, suppositiones, ampliationes, restrictiones, expositiões, resolutiões, ad gryphos & quæstio-

num labyrinthos, hinc in adyta Theologiæ. Tales, ubi uētum est ad eos autores, qui utriusq; linguæ facundia præcelluerunt, deum immortalē, ut cæcutiunt, ut delirant, ut sibi uidentur in alio prorsus esse mundo. Quoniam autem semel sum pto leōis exuuio pudet inscitiam fateri, simul autem & pudet & piget neglecta discere, bellū indicunt rectioribus studijs, & horum professores odio plusquam Vatiniano persequuntur. LEO. Istiusmodi multos nimiū cognitos habeo. VRS. Parentibus imperitis instillant in aurē, ne sinant liberos suos friuolis studijs ætatem perdere, persuadentes in his & bonis moribus, & Christianæ fidei, subesse naufragia. LEO. Nihil fingis. VRS. Iam in collegijs, siue pędagogijs quibusdam magna in hac re cessatio est. LEO. Qui sic? VRS. Si non reciperent nisi iam grammaticę rei peritos, nec aliud profiterentur quàm philosophiæ disciplinas, & eruditiores nobis darent, & ipsi minus haberent negotij. LEO. Verum, sed & compendij minus. VRS. Rē acu tetigisti. Nunc quo quæstus sit uberior, quamlibet elementarios ac propemodum ἀναλφαβήτους recipiunt. Tolerari poterat hoc, si digestis ordinibus & classibus, in singulas artifices idoneos præficerent, tum huic disciplinæ, cui ueluti fundamento nituntur omnes, iustam curam, iustumq; tempus darent. Nunc sophisticis argutatiōibus plus æquo datur, & hæc disciplina, qua non alia magis necessaria, uelut obiter & in trāscursu gustatur uerius q̄ discitur.

Moxq́ pueri rapiuntur ad titulos honoratiores, unde magistris plusculum accedit lucri. LEO. Ita nimirum fit, ut qui plus æquo properant in initio, serius perueniant quò uolūt. VRS. Nec huic professioni suus habetur honos, quemadmodū cæteris. Alijs etiam honoris causa titulus additur à baculo, alijs à licētia, alij salutantur magistri artiū, doctores medicinæ, doctores iuris Cæsarei, doctores iuris Pontificij, doctores utriusq́, tradū tur insignia, prærogatiuæ, dignitas. At grammaticus nihil aliud est q̄ grammaticus, queādmodum calcearius nihil aliud est quàm calcearius. LEO. Quos tu credis à baculo cognomen habere, equidem accepi à bacca lauri dictos VRS. Si res hæc tibi curæ est, dicam quod ex quodā hierophanta seu mystagogo talium rerum didici. LEO. Percupio. VRS. Is attulit triplicem huius cognominis etymologiam, mea sententia non absurdam. A baculo, inquiebat, dicuntur baculari, uel quod adhuc in pistrino laborātes, baculis impellantur iumentorum ritu, uel quod nondū in disciplinis absoluti, opus habeant rectore baculo. LEO. Probabile narras. VRS. Scis autē lauro baccas esse nigras & amaras. Porrò quoniam id temporis etiamnum arrodentes amarum sapientiæ corticem, nondum ad nucleum dulcissimū penetrarūt, baccalaureos appellari placuit. LEO. Istuc etiam probabilius. VRS. Verum mystagogus ille tertiæ sententiæ palmā tribuebat. LEO. Quam tertiam adferebat? VRS. Arbitraba-

tur dictionem compositam à uacca & laro, uaccalarios. LEO. Bella mixtura uaccæ cum aui. VRS. Imò probabis, si cognoris rem omnem. Scis aliquot nationes pro b, sonare u, consonantem, & contrà. LEO. Noui. VRS. Et uacca lac porrigit. LEO. Aiunt. VRS. Et larus auis est auidissima. LEO. Isthuc me docuerunt ERASMI prouerbia. VRS. Iam de amabili illo sapientiæ principe dictum est, Mel et lac sub lingua eius, unde q̃s uehemens quidam ardor huius lactis agit rapitq́, uaccalarij dicuntur. LEO. Quin igitur capralarij dicuntur potius, quum lac caprinum à medicis præferatur bubulo? VRS. Quia plus lactis reddit una uacca, quàm capræ tres, præsertim apud Phrysios. LEO. Pulchre quidem hoc expedisti. Sed unde licentiæ uocabulum? VRS. Et hoc me docuit ille mystagogus. Qua quidem in re uulgus errat periculose, credẽs illis iam licere quod libet, uelut ab omni honesta functione dimissis, eoq́ nonnulli tum se dedunt otio, quum maxime sint suscipiendi labores. LEO. Idem error & me, fateor, hactenus habuit. VRS. Atqui secus habet. Hæc licentia non ducitur à licet uerbo impersonali, sed à licere, quod est ex eorum numero, quæ Græci uocant ἀυτοπαθητικὰ, quod genus est uapulo, unde deductum licitari. LEO. Quis hoc diuinasset? VRS. Tum enim plurimi fiunt, & uelut à licitantibus accersuntur, alius ad aulam, alius ad curam pastoralem, alius ad Abbatiam, alius ad opimam præbendam: in summa, alius aliò.

aliò. Longum est enim omnia cõmemorare prę mia. LEO. Scite tu quidẽ hactenus. Sed unde magistri nostri? VRS. Honoris causa Græce dicũtur Theologi, Hebraice Rabini, quod Latine sonat magistri nostri. LEO. Intelligo. Talibus igitur cognomentis honorandum censes & grammaticum? VRS. Quid ni? tales quales fuerunt Donatus & Seruius dicantur doctores grammatices, quum procliuius sit uel in triplici iure doctoris nomen, quàm semel boni grammatici titulũ promeruisse. LEO. Da Seruios, dabimus honores. VRS. Imò tu da honores, ego dabo Seruios. Honos enim non solum alit, uerum etiam gignit artes. Adderem dictator & locum honoratũ in cõsessu, & insignia reliquaq; debita uiris præclaris ornamenta. LEO. An tibi parum est, si literatores insigniti literis incedant ut Samij, queadmodum aiunt? VRS. Adderem & scholis ipsis munditiem ac dignitatem, quum nunc uix sit hara porcorũ sordidior. LEO. Pueris'ne tantum honoris? VRS. At hi pueri templa sunt spiritus sancti, in his plãtarijs latent senatores, magistratus, doctores, Abbates, Episcopi, summi Pontifices & Cæsares. Quò imfirmior est ætas, hoc plus addendum est honoris, iuxta Pauli doctrinam. Postremò hi paruuli sunt, quorũ unius cuiuslibet offensionẽ Christus uoluit atrocissimo supplicio puniri, et asinis male docẽtibus molã asinariã alligari, itaq; demergi, nõ in arenã ripæ proximã, unde posset enatare, sed in profundũ pelagus. Nũc q̃d

est iniuriarũ genus, cui non patimur imbecillem ætatẽ obnoxiã esse? Nullus ferè tam abiectus, tã ineptus, tam insulsus, tã excors, tã indoctus, est quin uideat̃ idoneus formãdæ pueritiæ, cuius leuior esset calamitas, si tãtum aleret eiusmodi beluas, nisi pateretur & tyrannos. Nulli sunt enim plagosiores, q̃ qui nihil habẽt liberalis disciplinę. LEO. Sic & monarchæ si ratione careant, qua rẽ publicam administrent, ad uim ac tyrannidem confugiunt. Operosa res est imperare liberis, & compendiosa philosophia est dicere, sic uolo. VRS. Iam illud in pædagogijs penè solenne est, ut aut tenues, quibus nõ est unde uiuãt, aut puerum aliquẽ nudiustertius magistelli nomine donatum, pueris grammaticen docendis pręficiãt, tantum in hoc ut uiuat. LEO. An non pium existimas destitutis opitulari? VRS. At ista quidem humanitas in unum famelicũ, in tot pueros magna est inhumanitas. Impia est eleemosyna quæ de rapina confertur: & ingratum sacrificiũ quod ex prædatione datur. Malefica est beneficentia, quæ cum multorum iniuria coniuncta est. Vt est interdum principum crudelis clementia, quum uni cuipiã condonant facinus plurimorũ malo. Sunt innumeræ uię, quibus famelicis cõsuli possit. LEO. Nascũtur interdum humillimo loco generosa ingenia, quæ rei familiaris angustia submouet à liberalibus disciplinis. An non humanitatis est hæc euehere? VRS. Maxime, sed cum delectu & citra cuiusquam iniuriam. Nunc ferè ad-

sciscunt

ſciſcuntur ad hoc munus non alia commendatione, niſi quia cognatus eſt, aut conterraneus, aut cōpotor, aut alioqui notus, aut deniq; , quod eſt pietati proximū, quia miſerabilis. At interim nō miſeret tot puerorum. LEO. Pleriq; turpe putāt, quenquam ſemper in grammatices profeſſione manere. VRS. Qui nam id turpius, quàm pictorem nihil aliud profiteri quàm pictorem? Quanquàm fieri non poteſt, ut grammaticus nihil ſit q̄ grāmaticus, etiamſi in cæteris diſciplinis non perinde excellat. Nam ut unus in omībus emineat, nec à ſuperis datum eſt, nec expedit uitæ mortalium, utcunq; Græci iactant ſuū Hippiam. Tum enim cū rebus humanis feliciſſime agitur, quū diſtributis uarie dotibus, amicitia, iuxta prouerbium, facit omnia cōmunia. Quid enim ſtultius q̄ dicere manui, nihil aliud es q̄ manus, aut uentri, nihil aliud es q̄ uenter, aut tibię, nihil aliud es q̄ tibia, aut naſo, nihil aliud es quàm naſus? Et pulchrum eſt probri cauſa dicere grammatico, nihil aliud es q̄ grammaticus? Eſt aliquid & uentre contemptius, per quod eijciuntur craſſiora corporis excrementa. Contemnat hoc qui uolet, & uideat quàm floreant cætera membra. LEO. Iſta ſunt euidentiora, quàm ut poſſum refellere. Sed ut ad profitendi rationem ſeſe noſter recipiat ſermo, Non probas ſcholas publicas? VRS. Imò cū Fabio probo maxime, modo uitentur ea quę uir ille non minus integer q̄ eruditus uitanda commōſtrat. Nec enim iſtos probo, qui obſcuri ipſi,

in obscurum angulum contrahũt pueros, ac docent impune quodlibet. LEO. Laudantur in hoc genere quidam, qui non ita pridem exorti, medium genus inter monachos & laicos, domi suæ docendis pueris quæstum uberem facere dicuntur, q̃q̃ hoc aucupium & à monachis quibusdã affectari cœpit. VRS. Sua cuiq; sententia est, mihi displicent in hisce rebus latebræ, lucem amo. Tum id genus doctores ferè sunt ἀνδράποδα, nõnunq̃ indoctè docti, nec sui iuris, & illiberaliter educati: ad hæc alieniores à moribus sensuq; cõmuni. Quibus rebus fit, ut apud hos natiuus ille uigor & alacritas ingenioꝝ frangatur, ac deijciatur ad habitũ quendã pharisaicũ, qui liberalem & ingenuam indolem corrumpit, seruile quiddã & illiberale inserens teneris animis. Quin & illud non raro uidemus, eos qui ex talibus nidis emergunt, euadere cæteris insolentiores, minus synceros, magis fucatos, minusq; liberales. LEO. Quid utilius q̃ ut prima statim ętas formetur ad pietatis disciplinã? VRS. Rectè, si pietas in rasuris, cingulis, pallijs, piscibus & fabis, moꝝq; tristitia, sita est. At uera pietate nihil est hilarius. Iam ut hodie talis sit monachismus, qualis olim fuit, non oẽs huc aluntur, nec expedit imbecillem uelutiq; lactentem adhuc indolem immodica tristitia corrumpere, quæ gignit seruile quiddam, & natiuã ingenuitatem uitiat. Paulus non temere monet parentes, ne liberos suos amarulẽtia contristẽt. At istorum morosis moribus scio quędã ingenia

feliciſſime nata, fuiſſe perdita. Nam his potiſſimum imminent deijciendis, quũ in equis, ità in pueris, ſæpe feliciſſima ſint ingenia, quæ grauatim ferunt imperia. Itaq; refingũt in aſinos, quoniam equis imperare nequeũt. Adde his & grauius malum. Si quem puerum uiderint indole candida, aut etiam re lauta, hunc ſtudioſius frangũt ac deijciunt, ueluti generoſum pullum ad ſuæ uitæ inſtitutũ prædomantes, nec patiuntur abire, ſed blanditijs, minis, terriculamentis, obteſtationibus, horrendis narrationibus inſtant, urgent, obtundunt, donec uel ad ſe pertrahant, uel, ſi id nequeant, in alium protrudant gregẽ. Quid aũt facilius, q̃ ſimplicem ætatem ac reꝝ imperitam uel fallere, uel terrere? LEO. An iſtud faciunt? VR. Non refero ſomniũ, meum ipſius periculũ narro. LEO. Quod obſecro? Num quando in diſcrimen ueniſti, ne fieres uir bonus? VRS. Educabar apud hos Deuenturij, nondũ egreſſus annũ decimum quintum. Eius ſodalitij præfectus omnia moliri cœpit, ut me ipſoꝝ inſtituto addicerem. Et eram alioq; puer ad pietatẽ propẽſus. Ibi pro mea pueri li ſapientia excuſabam ætatem, ſed præcipue uoluntatẽ parentũ, quorum iram ſerio metuebam, ſi quid illis inſcijs tentaſſem. Hic ille uir egregius, ubi ſe uidet nihil eloquentia proficere, admouet exorciſmum. LEO. Quid fiet obſecro? VRSVS. Admouet imaginem crucifixi: ac mihi iam flenti uultu entheo, Agnoſcis'ne, inquit, hunc pro te paſſum? agnoſco, inquam, Per hunc, in-
quit,

quit, te obtestor, ne committas ut frustra pro te sit mortuus, sed obtemperans meis consilijs, cõsulas animæ tuæ, nisi uelis in æternum perire cũ mundo. LEO. Non deiecit puerum tanto ariete? VRS. Planè deiecisset, ni me parẽtum terror aliò retraxisset. LEO. Ista quidem uis est. VRS. Quod mihi accidit refero, alij narrent quid ipsis acciderit. Nec dubito quin innumeri sint qui similia pericula de se narrare queãt. Accedit ad hæc quod huiusmodi ferè nihil habent cõmercij cum ethnicis autoribus. Cæterũ quanq̃ non censeo Martialem, Catullum, Tibullum, aut si qui sunt horũ similes, prælegendos ætati lubricæ, tamen ad antiquitatis & uenustæ dictionis cognitionem expedit præceptorem in omni ueterum genere diligenter fuisse uersatum. Sacratior quidem est liber Psalmorum quàm Odarum Oratij, sed ex his quàm ex illis rectius discitur sermo Latinus. L. Verum hoc hominum genus unde uelles parare uictũ? VRS. Si nihil aliud, unde regius ille Paulus sibi parabat. consuebat coria. Quanquã aliud est unum alere, aliud ditare multos. LEO. Prohibet sacerdotij dignitas. VRS. Sacerdotes sunt qui populo Christi ministrant Euangelium. Quid si omnes fiant sacerdotes, nũ omnes uiuẽt in otio? LEO. At sunt uiri boni. VRS. At nõ meliores Paulo. Verum agnoscamus dignitatem, num otium adfert dignitatem? Scurrarum igitur & ludionũ mira dignitas est. Otiũ laudem habet in Episcopis & clericis, quanquã id nihil minus est quàm otium,

otium,quum assidue uacent edifcendis edifferē-
disq; fcripturis,cognofcendis caufis,componen-
dis litibus,increpandis improbis, confolādis af-
flictis. Nullum eft honeftum otium, tantū in ne-
gotij genere difcrimen eft. An tibi iufta uidetur
ab operis manuarijs excufatio, quod hypodiaco
nus fis aut diaconus, quum nullam operam pre-
ftes ecclefiæ,nec huc te pares ut præftare queas?
Olim certe proprium erat monachorum opera-
ri manibus. Quod fi caufantur fordidum opifici-
um:fi non fordidarunt Paulū coria,non eft quod
illi metuant fordidū opificiū. L. Quod narras idē
frequenter audiui à uiris infigniter cordatis. Sed
ifti uacant precationibus. VRS. Vacent,labor nō
multum officit precationi. LEO. Illos certe pro-
bas qui conftitutis fodalitijs alunt in ftudia tenu
es, quibus alioqui cum remo, ftiua & raftro res
erat futura. VRS. His rebus quidam fortaffe ma
gis congruebāt. Verum agedum, piæ mentis ar-
bitror fubleuandis pauperibus indulgere. Ad li-
teras accerfi nolim,nifi uigilanti cum delectu. L.
Quur ita? VRS. Fateor ex fubulco nonnunq̄ na-
fci regno dignum ingenium, fed ut paria fint in-
genia, plurimum habet momenti liberalis edu-
catio. Nec parui refert inter quos uerferis à pue-
ro. Ad liberales autem difciplinas prifci non ad-
mittebāt, nifi bonis prognatos. Hic periculū eft,
ne uenter illectet ad ftudia literarum, quos natu
ra genuit alijs rebus. Iam fi quorum indoles me-
retur ad hoc honoris uocari, fimul accedere de-

bet liberalis educatio, sic ut frugalitas adsit, non absit mundities. Nec oportet benignitatem esse sordidam, alioqui hoc nō est alere, sed torquere. Sed de suis quisq; liberis statuet quod uidebitur. Tuum qua ratione uis institui? LEO. Primum discet expedite sonare, deinde prōpte legere, mox elegāter pingere. Deinde deligetur morum & ingenij formator, deligentur sodales proba indole. Alibi parcus ero, non hic. Vtriusq; linguæ peritiā exacte perdiscet teneris statim annis. Dialectices non patiar esse rudem, nolim tamen ludicris illis argutijs ad ostētationem repertis torqueri. Rhetoricis aliquanto quidem diligentius, sed tamen citra superstitionem exercebitur, scribendi dicēdiq; potius usu q̄ anxia præceptorū obseruatione. Sed prius Geographiam perdiscet accurate: Arithmeticen, Musicam & Astrologiā degustasse sat erit. Medicinæ tantum addetur, quantum tuendæ ualetudini sat erit. Nonnullus & Physices præbebitur gustus, non tātum eius quæ de principijs, de prima materia, de infinito ambitiose disputat, sed quæ rerum naturas demonstrat. Quæ res agitur in libris de anima, de meteoris, de animalibus, de plantis. VRS. Nihil'ne de moribus? LEO. Hoc aphorismis instillabitur, præsertim ad pietatem Christianam & officia uitæ cōmunis pertinentibus. VRS. Tot disciplinis oneras ætatē tenerā? LEO. Faxo ut hæc omnia ludēs discat pri usquam attingat annum decimumoctauū. VR. Fortasse per artem notoriam. LEO. Nequaquā.

VRS.

Qui poteſt alioqui? LEO. Nihil eſt neceſſe, quẽadmodum uere dictum eſt, ut puer omnes diſciplinas exacte diſcat. Quaſdam guſtaſſe ſat eſt. Id magno fructu paruoq́ negotio fiet, ſi ex ſingulis præcipua quædam redigantur in compendium. Neq́ quicquam facilius diſcitur, quàm quod optimum eſt. VRS. Pulchre narras. Sed unde cõpendiorum artifex? LEO. Iam hoc ago, nec ab uno petam omnia, ſed in quo quiſq́ præcellit, in eo depoſcam illius operam. Ita meus catulus nõ ludet operam & impenſam in friuolis, aut dediſcendis, in quibus hodie, deum immortalẽ, quanta pars ætatis perit? Vbi iactis huiuſmodi fundamentis peruenerit ad annum decimumſeptimũ aut octauum, ipſe ſibi deliget ſtudiorum ac uitę genus, ad quod ſe ſenſerit natura magis compoſitum. Vix enim feliciter cedit, ad quod quis reluctante genio protruditur. VRS. Vtinam iſtam rationem amplectantur publicæ ſcholæ. Nihil eſſet iuuentute felicius. LEO. Arbitror tibi frequenter ex maioribus auditũ, fuiſſe tempus quo pueri multis annis diſcruciabantur modis ſignificandi, & quæſtiunculis ex qua ui, & alijs indoctiſſimis nænijs, magnaq́ ambitione dictabatur, ediſcebatur, exponebatur Ebrardus & Floriſta, q̃d ſupererat temporis, ridiculis uerſiculis tranſigebatur: Ioannis Garlandini græcolatina diſticha prælegebantur à ſudantibus, Catholicon in omnibus templis habebatur. VRSVS. Infelix profecto ſeculum: LEO. An tu credi-

dißes unquam fore, ut apud Britannos aut Batauos pueri Græce garrirent, Græcis epigrammatijs non infeliciter luderent? VRS. Citius credidissem ruiturum cœlum. LEO. Tanta rerum mutatio mihi spem facit fore, ut unaquæque professio, repurgatis his quæ magis faciunt ad quæstū & ostentationem q̃ ad eruditionem, tantum ea cōpēdio doceat, quæ digna sint cognitu. VR. Istuc equidē uehemēter opto. Nam nunc uideo quosdam adeò propensos in has politiores literas, ut fastidiant liberales disciplinas, quasi summa studiorum sit, emēdate loqui. LEO. Vera narras. Verum hæc est rerum humanarum conditio, quū ad summum peruenerint, non corrigantur, nisi in diuersum detorqueas, ac propemodum uitio uitium emendes. Cæterum arbitror hanc prauitatem aliquando in suum statum reditură. VRS. Nihil existimo desperandū, posteaq̃ scenam rerū usque adeò mutatam uideo. Tantum uereor, ne nobis quidem sero contingant ista. Verū hic sermo nobis propemodū extra causam feritur, optime Leo. LEO. Qui sic? VRS. Quoniam nobis hæc, ut dicebā, præpropera cura est. Nos enim de publico iuuentutis formatore loquimur, tuus infantulus adhuc inter matris ac nutricum sinus repit. LEO. Verum, sed ab his initijs prima facundię rudimenta Rhetores auspicātur. Nā Quintilianus, ut Gracchorum admirandam eloquentiam nōnulla ex parte acceptā refert Corneliæ fœminæ supra sexus modum eloquēti, ita Lælij & Q. Hor-
tensii

tensii filiam scribit in dicendo paternam elegan
tiam retulisse. VRS. Hæc illis temporibus recte
præcipiebantur, quum Latine Græceq; loquerē-
tur etiam infimæ plebis opifices, æque atq; do-
cti, nec sermonis genere differebant, sed sermo-
nis elegantia. Nunc à parentibus ac nutricibus
quid discere possunt infantes, nisi uulgatam suę
gentis linguam, puta Gallicam, Hispanicam, Ger
manicam, Britannicam, aut Sarmaticam? LEO.
Recte mones, Vtinam uniuersum mortaliū ge-
nus duabus dūtaxat linguis uteretur. VRS. Qui
bus? LEO. Græca & Latina. VRS. Quid de lingua
Hebraica? LEO. Eam, quoniam nec admodum
late patet, &, ut apparet, nec ab ipsis Hebræis sa-
tis tenetur, Iudæis ac Theologis relinquerem. Si-
mulq; uereor ne quid Iudaismi cū literis imbibat
puer. VRS. Eadem opera uerere, ne quid pagani-
smi combibat ex Homero, Demosthene, Vergi-
lio & Cicerone. LEO. Et hoc pro uiribus curabi-
tur. Verum unde, quæso, nobis tot linguarū my-
riades? VRS. Non nouum hoc malum est, ô præ-
clare, Nam olim à diluuio, quod Noë temporibus
accidit, prisci mortales, ne simili calamitate dissi
parentur, coctilibus lateribus & bitumine uice
calcis adhibito ciuitatem extruere adorti sunt,
& in huius medio turrim immensæ molis, quæ
pertingeret usq; ad cœlum. LEO. Vnde tanta bi
tuminis uis? VRS. Non coquebatur ex animanti-
um pellibus cornibus'ue, ne quid erres, sed in ea
regione lacus immensi scatēt bitumine. Iam stru

ctura penetrarat nubes. Erat autem hominũ immensa uis, neq; quisquã omnium uacabat operis portione. Illic prorsus euenit quod habet Graecorum prouerbiũ, ἅμας ἀπῄτουν, οἱ δ' ἀπηρνοῦντο σκάφας. L. Quinam? V. Aliquis è longinquo petebat obsoniũ, alter adferebat lateres. Rursus alius inclamabat sitiens, adferte potum, alter deferebat bitumen: priusquã ille recurreret, hic fame siti'ue perierat. Rursus alius postulabat ignem, deferebatur aqua. Hic petebat trullã, ille ferebat cucurbitam. Tandem fatigati taedio structuram omiserunt, dumq; se sibi mutuo ludibrio esse crederent, alij aliò demigrarũt, ut quosq; iungebat lingua communis. L. Isti narrationi concinit Oedipodis, opinor, aenigma, de animãte, quod primũ quadrupes est, deinde bipes, tãdẽ tripes, quodq; uocibus omniũ animantium sonet, perq; omnia uolitet. V. Eandẽ ob causam Homerus homines μέροπας appellat, ob uocis uarietatẽ. L. De linguarum igitur, ut uideo, diuersitate nulla spes est. V. Ne expedit quidẽ uulgo cõmittere, quod syncerũ ac perpetuũ esse uelis. Olim bona pars Europae & Africę, cũ Asia minore latine gręceq; loquebatur. Quot barbaricas linguas nobis uulgus ex una latina reddidit? Quot discriminib⁹ sectus est Italiae sermo? quot Galliae, quot Hispaniae? Praestat igitur has linguas, quibus maxima ex parte cõmissae sunt disciplinae, tantũ ab eruditis seruari, quarum integritas non à populo, pessimo rerũ bonarum custode, sed è libris eloquentum scriptorum

ptorum petatur. Verũ illud explica, quur ea quo ꝗ ſolicitudo tenet animum tuum, ut leunculus tuus prompte legat, nec inſcite ſcribat? L. Quoniam uideo Fabio quoq; cum primis fuiſſe curæ. & ſimul utrunq; diſci poteſt. Nam utraq; res alteri auxilio eſt. Scripturam enim ineptam eadē ſequũtur incommoda, quæ malam pronuntiationem. Vel Ciceronis orationem ſcribe literis Gotticis, ſolœcam dices ac barbarā. Fit igitur ut aut gratiam amittat quod ſcriptum eſt, aut omnino reijciatur, aut lectorem defatiget tædio. Conſequitur autem, ut nec doceas non intelligentem, nec delectes ægre legentem, nec perſuadeas enecto moleſtia. Et ſcis ꝗ̃ ſint moroſa quorundam ingenia, præſertim ſi ſcribas occupatis, aut de re ꝑ ſe parum amœna lectori. Quis enim diu poſſit auſcultare balbutientem, cuius ſermonem ægre percipias? Contrà uix credi queat, quātopere cōmendet rem, elegās, dilucida, diſtinctaq; ſcriptura, latinis elementis latina uerba repræſentantibus. Olim in ſcholis pleraq; dictabant excipiēda diſcipulis, ita fiebat ut celeriter ſcriberent pueri, ſed incōmode, notulis & abbreuiaturis compendiũ aucupātes. Nunc typographorũ ars facit, ut eruditi quidā ne ſcribant quidē omnino. Nam ſi qd ſuarũ lucubrationũ literis mādare uiſum eſt, tam belle pingunt, ut ipſi nonnunꝗ non poſſint legere quod ſcriptum eſt, & ab amanuenſi flagitent ut legat, agnoſcatq;, quod ipſi non agnoſcunt. Quin & in epiſtolis principum exemplo, De recte ſcribēdo.

complures utuntur amanuensiũ opera. Sed quid illi facient in epistolis arcanis, quales frequenter incidunt etiam regibus? ut omittam quod interdum ad autoritatem, interdum ad gratiã facit agnita manus. Nonnihil habebat momẽti, quod Paulus apostolus Galatis epistolam totã αὐτόγραφον misit. Quis non reuereatur si rex sua manu descriptam mittat epistolã? Quomodo autem exosculamur, quoties ab amicis aut eruditis uiris literas accipimus ipsorum articulis depictas? Tũ demum ipsos coràm audire, coràm intueri uidemur: Quid multis? Epistola digitis alienis scripta, uix epistolæ nomẽ promeretur. Multa de suo addunt amanuenses. Et si dictes ad uerbũ, tamen abest illud secretũ, & quædam aliter pronuntias, nonnulla supprimis, ne consciũ habeas quẽ nolis. Non est igitur hoc liberũ cũ amico colloquiũ, ne quid interim loquar de fide scripti. Subscriptionem effingere facillimum est, totam epistolã perdifficile est. Habet enim singulorum ut uox, ita manus quoq; quiddam suum ac peculiare. V. Quod dicis quemadmodũ mirum, ita uerissimũ esse fateor. L. An parum interesse censes, utrum ore suo quis referat tibi mentem suam, an per internuntium demandet? V R S. Plurimum refert, meo quidem animo. V R S. Mandatarius ille fieri potest, ut mentiatur, ut quædam prætermittat, ut aliter referat quàm accepit. postremo ut optima fide referat omnia, oculorum, frontis, uultus & uocis energiam non potest exprimere.

te, VRSVS. Persuasisti, plurimum ad rem facere, si puer statim discat quàm optime scribere, non solum ob causas quas tu quidem grauissimas commemorasti, uerũ etiam ob id quod facilius ac libentius scribit qui scite didicit scribere. Habet enim elegans scriptura non aliter q̃ insignis pictura suam oblectationem, quæ tũ scribentem in opere, tum legentem in studio remoratur. Verissimum est autem hic & illud quod dicitur, recte scribẽdo fieri, ut celeriter scribamus, non multum scribendo, ut bene. LEO. Superest igitur ut inquiramus, qua ratione fieri possit, ut puer & bene & celeriter discat scribere. VRS. Eadem cura me quoq; iam pridem torquet. Nam optarim ex tot ursinis catulis unum atq; alterum sic educari, ut ex hoïe prognati uideri possint. LEO. Ergo communica si quid habes. VRS. Ex me quidem nihil habeo, cæterum quod ex alijs accepi, si uoles, qualecunq; est, proferam in mediũ, sed hac lege, ne tu celes uicissim, si q̃d habes rectius. LEO. Polliceor. VRS. Nuper interfui conuiuio grammaticorum, opinor fuisse plures duodecim, diceres non modo iustum, sed & frequentem senatum. Ibi de rebus huiusmodi ferebantur suffragia. LEO. Conueniebat inter illos? VRS. Adeo, ut rem pulchre gestam arbitrarer, si ἀναιμωτὶ dimissum fuisset concilium. Nunquam uidi calidiorem de re frigida concertationem. Longa rixa fuit, quot essent orationis partes, alijs octo in quindecim proferentibus, alijs ad pentadẽ, alijs

modi notulis ut eſt procliuis notariorũ lapſus, ita reſtitutio perdifficilis, quod idem uſu uenit in Mathematicis, qui formis elementorũ ſignant ſuas ἀποδείξεις. L. Perge. V. Primum igitur erit ſingulas elementorum figuras effingere, minuſculas ſimul & maiuſculas. LEO. Quidam in elementis affectant obſoletam antiquitatẽ, uelut è duodecim tabulis petitam, aut ſi quid his antiquius. V. Iſti non minus abſurde faciunt q̃ faciunt ij, qui uerbis iam olim deſitis delectãtur, perinde quaſi cum priſcis Aboriginibus, aut Euandri matre loquantur. LEO. Etenim ſi rẽ ab Aſſyrijs ac Phoenicibus Cadmoq́ repetas, nec formas, nec ſonos eoſdem comperies. Sunt & qui ſuum quoddam ſcripturæ genus affectant, ita ſcribentes Latina, ut parum exercitato Græca uideri poſſint. VRS. Ridendos mihi narras, non imitandos, niſi forte placent Apuleij & Sidonij, aut, ut recentiores attingam, Baptiſtę Pij, qui, quum ſuppetant probata, ſplendida, accõmodaq́ uocabula, tamen confictis impudẽter nouis malunt ſuo more loqui, perinde quaſi nihil poſſit eſſe præclarum quod ſit uſitatum. LEO. At quod tandem formularum genus maxime probas? VRS. Maiuſcularum abſolutiſſimum exemplum eſt in nomiſmatis Romanorum, quæ temporibus Auguſti, & aliquot poſt hunc ſeculis excuſa ſunt, præſertim apud Italos. Nam in prouincijs artificum imperitia non perinde reſpondent. Minuſculas undelibet ſuppeditat Italia, niſi quod ex omnibus eligendæ,

gendæ, quæ & simplicissimæ sunt, nec ita multũ recedunt à maiusculis. Tantũdem de Græcis præceptum esto. LEO. Quibus in rebus potissimum situs est literarum decor? VRS. In quatuor, in figura, contextu, serie, & proportione. LEO Figuram ostendisse satis est? VRS. Non est. Proderit & partium ductum ostendere, & quomodo parti pars adapteẽ iudicare. LEO. Dic, oro te, clarius quod mones. VRS. Perlongum sit, Leo, de singulis disserere, dabo specimẽ unde cætera conijcias. LEO. Expecto. VRS. Alpha maiusculum Græcis ac Latinis simili figura signatur. Huius sinistra linea paulo subtilior, calamo transuerso ducẽda à summo ad imum: dextra crassior, plano, quemadmodum & transuersa, quæ uidetur addita, ne nullũ sit discrimen inter Alpha & Labda Græcum. Hęc admonitus puer facilius imitabitur, quàm si tantum ostendas figuram. LEO. Sanè rectè. VRS. Alpha minusculum uarie pingitur, sed commodissime si primum pingas o oblongum, dorso superne ueluti gibbo prominente ad dextram, deinde ab illius summo in gyrum commode flexo calamo, mollem addas semicirculum, inferne nõ nihil inflexum, o, α. Item b minutulum si uelis pinge, ducẽda est ex alto recta linea, id primum est, huic annectendus semicirculus, hoc est, inuersum ɔ, quod si infernæ hiet, fiet h aspirationis nota. Eidem columnæ si addideris lineam infra-ctam, erit K, Rursus eadem si inferne promineat extra uersum, & addideris ad dextram inuersum ɔ,

ſum ɔ,fiet p. Si ad læuam rectum c,erit q. Si nihil annectas ſurſum prominenti,erit l, niſi quod inferne paululum inflectitur, quo differat ab I maiuſculo. LEO. Sat eſt,habeo ſpecimen,reliqua per me conijcio. VRS. Supereſt formularum uarietas,quæ maior eſt in Græcis minutioribus. Dein de notulæ decurtatarũ dictionum, quæ res magis pertinet ad prompte legendum quàm ad recté ſcribendum. Sed primis initijs magis congruunt ſimpliciora. Huic exercitationi ſuccedit contextus,refert enim quam literam cui iungas. Quædam enim ſe non ſuſtinent contingere,quædam gaudent contactu, quædam ſibimet implicantur,ueluti p & o refugiunt contactum, f,g,t, & fortaſſis aliæ nonnullæ,quibuſdã annecti gaudent,ut grande facinus, flagitium,traxit, nec tamen hæ miſcentur quibuslibet. Græci in pingendis minuſculis feliciter laſciuiunt, literas aliquot inuicem complicantes. Idem & in maioribus tentatum, ſed apud Græcos non temere niſi in notis numerorum ueluti quum ſignantes quinquaginta, delta minuſculum includunt py, ΠΔΙ Apud Latinos tentatum à multis non ſucceſſit. Profuerit igitur nouo ſcribæ, ſi has formarum uarietates non ſolum pictas, ſed & pingi conſpiciat. LEO. Super his, utcunq; minuta ſunt,admoneri gaudeo. VRS. Poſt hæc de ſerie diſputabant, ut intra rectas lineas decurrant uerſus,ne ſcriptura ſit ſimilis Sybillæ folijs. &, iuxta Plautinum iocũ,litera literam ſcandat. Nihil hac inæ-

inæqualitate deformius. LEO. Ad istum sané modum scribit uxor mea. VRS. Iam bona pars artis est in proportione. Ea sita est, partim in partibus figurarum, partim in prominentijs, partim in interuallis. LEO. Ista non satis assequor. VRS. Nihil aliud accipies q̃ specimen rei. A maiusculũ constat tribus lineis: proportionis est, ut transuersa æquali spatio distet & à summo & ab imo. Rursus indicandum quanto spatio distet imum sinistræ lineę ab imó dextræ. Finge triangulũ æquis lateribus, si detrahas imam lineam, eamq́ꝫ certa portione decurtatam transferas in medium, habebis Alpha. LEO. Intelligo. VRS. Item in B, erectæ lineæ ceu columnæ duo ueluti uentres annectuntur, sed inæquali tumore, cui si desit sua proportio, offendit figura. L. Sic est profecto. V. Eadem est ratio in partibus quæ prominẽt, aliæ sursum, aliæ deorsum, uidelicet ut l sursum eminẽs, & p deorsum, tantũ habeant longitudinis extra uersus spatium, quantum intra. c, uerbi causa, implet rectum spatiũ, huic annexa linea ut fiat q, duplicet illud, aut certe minimo superet. Hic em̃ non artem tradimus, sed exemplũ adducimus. L. Mihi quidem satis est. VRS. Porrò interuallum bifariam consideratur. Alterum est quod dirimit uersum à uersu, alterꝝ quod literam à litera: adde si uelis tertium, quod dictionẽ à dictione, quod comma à commate, colon à colo, periodum à periodo, simul ascriptis notulis q̃bus distinguũtur. Vt autem proportionis obseruata ratio non

hic

hic tantum plurimum confert ad decorem, ita recta distinctio, credi uix potest quantum adferat lucis ad intelligendam sententiam, ut non inscite dixerit eruditus quidam, aptam distinctionem, commentarij genus esse. Expedit igitur & huic rei statim assuescere puerum, ita consuetudo uertetur in naturam, ut uel aliud cogitans seruet tamen in scribendo notulas huiusmodi non aliter quàm literas ipsas. LEO. Audio priscos illos nullis interuallis diremisse dictiones, sed perpetuo contextu produxisse uersus. VRSVS. Fateor, at nec apices olim adhibebant Hebræi, ne Græci quidem, arbitror: nos tamen non usq; adeò morosi sumus, ut si quid bonæ rei repertum sit à recentioribus, grauemur accipere. Hæc diligentia etiam illud adduxit commoditatis, quod scripturam apicibus, notulis, interuallisq; distinctam, minus in procliui sit deprauare. LEO. Apparet tamen ueteres apicibus usos. VRSVS. Istud qui coniectas? LEO. Quia narrant Cadmum literas à Phœnicibus primum inuexisse. Eam rem fabula notatam, quæ fingit illum serpentis extincti dentes in terrã seminasse, ex hac semente subito exilisse duas galeis & hastis armatas acies, quæ se mutuis uulneribus confecerint. Atqui demiror quid hæc fabula faciat ad literas. VRSVS. Dicam, nisi molestum est. LEO. Imò percupio, si graue non est. VRSVS. Inspexisti ne unquam os serpentis? LEO. Ne cupio quidem. VRSVS. Mortui, inquam? LEO. Ne mor-

mortui quidem. VRS. Quis unquam audiuit Leonem timidiorem? Si tamen inspicias, numeres supernos & infernos dentes, tot reperies, quot literas primum attulit Cadmus. LEO. Quot? VRS. Sedecim ni fallor. Otiosæ sunt autem sicut natæ sunt ordine positæ, dissipantur, seminantur, atque ita demũ plures numero uarieq́ue digestæ, uiuũt, agunt, pugnant. Id si non credis, considera qua strage se uicissim conficiunt hodie, qui literas profitẽtur. LEO. Veriora ueris narras. VRS. Quid est autem scriptura, nisi mutus sermo, perinde quasi nutibus inter se colloquantur elingues? L. Nihil aliud. VRS. Et sermonem à serendo dictum aiunt grammaticorũ filij. Habes Cadmeæ sementis allegoriã Nunc excutiam scrupulum, qui, uti cõiector, urit te. Tonorum ac spirituum notulas, imaginaris esse lanceas & galeas exercitus. LEO. Recte diuinas. VRS. Imò partes elementorum sursum eminentes talium rerum speciem præbent, & si diligentius contemplere, uidebis illic non solum lancearios ac leuis armaturæ milites, uerumetiam cataphractos, clypeis, ensibus ac balistis instructos. Verum harum rerum imagines melius exhibent Hebræorum elementa, à quibus profectas fuisse literas nostras unà cum ipsis figuris, non absurde quibusdã uidetur. LEO. Istam fabulam, mihi crede, non narrasti surdo. Cæterum illud adiungas uelim, quibus modis puerum oporteat istis assuescere noscitandis VRS. De agnoscendis elemẽtorum figuris mox dicẽt.

Agimus

Agimus enim, ut dictum est, ordine præpostero. Ad exprimendum pictura singulas, primum est exemplar, deinde commonstratus ipse linearum ductus, præterea manus docentis imposita manui pueri, eamq; regens ac moderans. Indicauit aliud adminiculū Fabius, ut eburneæ tabulæ primum literæ simplices, mox syllabæ ac dictiões, deinde uersus aliquot q̃ scitissime insculpantur, per eos sulcos puer consuescet stilum ducere, donec, iuxta philosophos, actio frequenter iterata gignat habitum. Nam hac arte didicimus & cæcos nonnullos prompte scribendi facultatem sibi parasse. Eadem opera fiet, ut nec diuariet à recta linea, nec usquàm peccet ab harmonia proportionis. Olim stilo scribebatur in tabulis ceratis, nunc, quoniam calamis aut pennis scribitur, in chartis aut membranis pingitur, alia scribēdi ratio est. LEO. Et antiquitas folijs, arborum codicibus, aut linteis cerussatis, aut alioqui leuiter incrustatis inscribebāt. VRS. Et nunc sunt qui in tabellis puluere oblitis stilo æreo argenteo'ue scribant. Sed præclarus artifex uarias rationes comminiscetur, quibus puerili studio subueniat. Quarum una est, si perfectum exemplar membranæ pellucidę supponatur, super quam puer calamū ducat sequens subiectas lineas. Altera est, si scribendi peritus stilo argēteo cupreo'ue uestigia literarum imprimat chartæ, deinde puer per eadē lineamenta ducat calamum, aut pennā atramēto madentem. Eadem erit utilitas si succo ligni

cuiuſdam figuras præſcribas, leuiter purpureas, quas puer tegat atramento. Hic prioris ſcripturę ueſtigia coarguent, quantum ſit aberratũ à pręſcripto. Iam quidam utuntur tabulis, in quibus fila, fides'ue glutino affixę, linearum ueſtigia chartis admotis imprimunt. Ea res ad figurarum ſpeciem non ita multum confert, plurimum tamen conducit ad rectitudinem uerſus, & ad proportionem partiũ ſuperne inferne'ue prominentiũ. Id commodiſſime fiet, ſi ſinguli uerſus ſignentur quatuor lineis, æqualibus interuallis inter ſe diſtantibus, intra duas medias ducentur ipſa literarum corpora: quæ uero prominent ſurſum ac deorſum, intra ſuum modum cohibebũt extremæ duę. Eadem arte licebit æqualibus ſpatijs dirimere uerſum à uerſu. Verũ ut his adminiculis prodeſt exerceri puerꝵ, ita non expedit ſemper his niti, ſed ubi iam profecerit, conſueſcat abſq; cortice nare, nec ſemper linearum ductum deſideret. L. De ſcribendo uideor mihi propemodum ſatis inſtructus. VRS. Vnum illud addam, hæc ita tradenda pueris, ut ſe ludere putẽt, non ſtudere. Quidam enim hæc tanta docent acerbitate, ut pueri prius diſcant odiſſe literas q̃ noſſe. Ad hæc iuuabit ad picturã interim nonnihil exerceri puerum, ad eam artem pleriq; ſua ſponte feruntur, dum gaudent & exprimere quod agnoſcũt, & agnoſcere quod ab alijs expreſſum eſt. Vt autem qui muſices periti ſunt, rectius pronuntiant etiam non cantantes, ita qui ducendis in omnem

formã

formã lineis digitos habet exercitatos, mollius ac felicius pinget literas. Si quid super his requiras subtilius exactiusq́, extat liber ALBERTI DVRERI, Germanice quidem, sed eruditissime scriptus, in quo priscos huius artis heroas imitatus, nominatim Pamphilum natiõe Macedonẽ, quum omnium literarum, tum Geometrices & Arithmetices egregie peritum. Nam sine his disciplinis artẽ absolui posse negabat: ad hæc Apellem, qui & ipse ad Perseum discipulũ de arte sua conscripsit, multa præclare tradit de mysterijs graphices, ex Mathematicorum petita disciplinis, & in his non pauca de figuris elementorum ac ductibus proportioneq́ literarum. LEO. Dureri nomen iam olim noui, inter pingendi artifices primæ celebritatis. Quidam appellant horum tẽporum Apellem. VR S. Equidem arbitror si nunc uiueret Apelles, ut erat ingenuus & candidus, Alberto nostro cessurum huius palmæ gloriam. L. Qui potest credi? VR. Fateor Apellem fuisse eius artis principẽ, cui nihil obijci potuit à cæteris artificibus, nisi quod nesciret manum tollere de tabula. Speciosa reprehẽsio. At Apelles coloribus, licet paucioribus minusq́ ambitiosis, tamen coloribus adiuuabatur. Durerus, quanq̃ & aliâs admirãdus, in monochromatis, hoc est, nigris lineis, quid non exprimit? umbras, lumen, splẽdorẽ, eminẽtias, depressiones: ad hæc, ex situ rei unius non unã speciem sese oculis intuentium offerentem. Obseruat exacte symmetrias & harmonias.

Quin ille pingit, & quæ pingi non possunt, ignẽ, radios, tonitrua, fulgetra, fulgura, uel nebulas, ut aiũt, in pariete, sensus, affectus omnes, denique totum hominis animũ in habitu corporis relucentem: ac pene uocem ipsam. Hæc felicissimis lineis iisque nigris sic ponit ob oculos, ut si colorem illinas, iniuriã facias operi. An non hoc mirabilius, absque colorum lenocinio præstare, quod Apelles præstitit colorum præsidio? LEO. Non arbitrabar esse tantũ eruditionis in arte pingendi, quæ nunc uix alit artificem. VRS. Non nouũ hoc est, insignes artifices tenui re esse. At olim inter artes liberales numerabatur graphice, nec hanc discere licuit nisi claris, mox honestis, cæterum uetitũ ne seruitiis traderetur. Principum est ignominia, non artis, si caret suis præmiis. LEO. Sentio quantum ad omnem facultatem parandã habeat momenti, statim optimis præceptionibus admonitum esse. VRS. His coniuncta est legẽdi cura, cuius celeritas, nisi primis statim annis paretur, nõ temere contingit homini, quantumuis adnitat. Vix autem fieri potest, ut lectiõe delectetur, qui legẽdo hæret ac laborat. Proinde, ut qui parum expedite scribunt, ad dictandi compẽdia confugiunt, ita qui difficulter legunt, aut in totum abstinent à libris, aut si quid coguntur scire, lectorẽ accersunt. utrobique perit illud secretũ quod præcipue alit ingenium, siue tuas cogitationes mandare literis pares, siue magnorum uirorum cogitationes uelis cognoscere. Vt autem puer statim

De recte prõpteq; legendo.

per

per lusum agnoscere discat literarū figuras, rem adfero dictu humilem, sed tamen à summis uiris traditam. Profuerit eas crustulis exprimere, ut diuinanti nomen elemēti, præmium sit ipse cibus. Hoc Flacci consiliū est. Fabius aliud indicat huic simile, ut ex ebore fingantur literarum formæ, atq; ex his lusus aliquis pueris gratus proponat, qualis est nucum, aut talorum, aut si quod aliud genus, quod nisi cognitis ac nominatis elementorum uocabulis peragi non queat. Quam ad rē accommodatissimus latrunculorum ludus, quē hodie Scacorū uulgus appellat, sic ut hinc Græcæ, hinc Latinæ literæ inter se concurrerent, nisi quod operosior est, q̄ ut ætati primæ conueniat, adultioribus aptissimus. Idem efficiēt munuscula, quæ puerorum uestibus ornatus gratia affiguntur, aut in manum dantur, ut cum uoluptate intueantur, contrectent ac nominēt. Videmus ætatē illam affici uoluptate, si in picturis agnoscant hominis, aut animātis, alterius'ue rei figuram, ac nomen reddant. Simili illecebra poterūt & ad literas agnoscendas iritari. Mox ad syllabarum connexionem progrediendum, hinc ad dictionum complexū, postremo ad orationis structuram. Ea res ferè constat memoria, quam uolunt esse certam, eo'q; negant primæ fidendum, sed nunc recto, nunc inuerso, nunc confuso literarum, syllabarum ac dictionum ordine repetēda subinde eadem & inculcanda, donec certam legendi facultatem & expeditam paratā esse con-

ſtiterit. Nec ante tẽpus affectanda celeritas, quo fit ut multum adferat moræ lectioni incogitans feſtinatio, dum auditor dubitat quid legerit, dũ auribus non aſſequitur lingua properantem, dũ quædam intermittuntur, quædam perperam ſonantur, unde dum uel alijs reuocantibus, uel ipſe tibi diffidens repetis multa, non parum diſpẽdij ſecum adfert male captatum compendium. Prima cura ſit, ut attẽte, ut emẽdate legamus: cæterum ut idem faciamus expedite, nec cogitantes, ac uelut aliud agentes, dabit uſus. Id quod ſcite præcepit Fabius, Certa ſit, inqt, in primis lectio, deinde coniuncta, & diu lentior, donec exercitatione contingat emendata uelocitas. LEO. Iſta præceptio nõn hic tantũ ualet. VRS. Adijciebãt & illud, dum legis, in dextrũ flectendos oculos, & quodammodo præcurrendũ, diducta in duas res animi intentione, ut aliud agatur uoce, aliud proſpectu, quemadmodũ qui facit iter non hoc intuetur quod calcat, ſed quod calcaturus eſt, ſic huic poſteriora intuenti priora recitanda ſunt. LEO. Demiror quur hoc natura inuiderit homini, ut altero oculo proſpiceret in dextrum, altero in læuum. Nec uideo quorſum opus ſit duobus, quum fabri & baliſtarij, ſi quando maxime intendunt proſpectum, alterum occludant oculum. VRS. Dicam, ſi quis te caſus altero orbaret oculo, nonne gauderes alterum ſupereſſe? LEO. Verũ ſi legas Hebræa, in leuum flectendus proſpectus. VRS. Nimirum ut in ſcribendo manus. Verum

rum id minimo negotio docet paucorum dierũ usus. Noui qui & pedum digitis expedite sciteq́ scriberent. Quibusdã ea prospectus celeritas est, ut oculis præuolãtibus deprehensa sententia, bene legant etiam perperam scripta. Quædã enim nisi cognito prius sensu recte sonari nõ possunt, etiamsi bene scripta sint. LEO. Credo, sed plures sunt, qui recte scripta legãt perperã. VRS. Quod dicam prodigij simile est. Viuit adhuc quidã de procerum aulicorum numero, qui nunquã legit ipsum quod scriptũ est, sed loci sententiã alijs reddit uerbis. Rogatus à me num sciret se id facere, fatebatur se frequenter huius rei admonitũ. Quærebam num sciens ac uolens id faceret, negabat, imò nõ dissimulauit se sibi hoc nomine displicere, Addebã qua nã occasione uenisset in eam consuetudinem. Num puer habuisset præceptorem, qui parandæ copię gratia iussisset illum alijs uerbis efferre quod legeret, aut num quid aliud accidisset simile. Negauit. Nam est huiusmodi musices genus apud Britannos, ut multi inter se concinant, quorum nullus eas sonat uoces quas habẽt codicũ notulę. LEO. Habet natura suas quasdam arcanas causas, quas frustra scrutantur homines. Et ipse noui puerum annos natum duodecim, cætera perfectum, hoc tantũ habebat prodigiosum, quod omnia uerba præpostere loqueretur, quod in nostrate lingua scis esse absurdissimum. Nam Latine loquentibus, quanquam ad decorum compositio plurimum facit, tamen

ad ſenſum non refert, ſiue dicas honora patrem tuum, ſiue patrem tuum honora: nihil autem abſurdius, quàm ſi quis noſtrate lingua dicat, patrẽ tuum honora. VRS. Sic eſt ut dicis. Addunt autẽ præceptiunculam, mea ſententia, non aſpernandam, quæ pariter & ad legendum & ad ſcribendum pertinet, nonnihil etiam ad mores. LEO. Audire geſtio. VR. Moris eſt, ut poſt agnitas formulas, & contextas ſyllabas incipiãt ſcribere nomina, mox & oratiunculas. LEO. Sic eſt. VRS. Hoc operę nolunt inſumi in uocabulis inanibus ac nĩhil ſignificantibus, aut uulgo notis. LEO. Expecto ut melius dicas. VRS. Scis bonam eruditiõis partem eſſe, ſcire rerum uocabula. Hic ſupra modum ceſſatur à grammaticis uulgaribus, quorũ uitio fit, ut adoleſcẽtes poſt multos annos in grãmatica cõtritos, uix norint ullius arboris, piſcis, uolucris, quadrupedis, aut leguminis uerum nomen. Ne domi quidem ullam ſupellectilem Latine nominare poſſunt, adeò ut quum uolunt ſibi dari mantile, dicant da mihi rem, & aut indice digito eſt opus, aut uulgatæ linguæ ſubſidio. Idẽ uſu uenit ſi producantur in officinam cuiuslibet artificis, tantum generales rerum uoces utcunq; tenent, ſpecies prorſus ignorant. LEO. Iſtud mihi ſanè uſu uenit, ac mecum alijs q̃ plurimis. Arborem, legumen, herbam, equum & canẽ oſtendere poſſum, at ſi quis exigat ut oſtendam alnũ, aut fraxinum, aut ilicem: ſilurum, ſcarum aut pectinem: eruum aut milium: ſcolopendrã, uiuerrã

aut

aut felem, hæreo. VRS. Sic & in dialecticis pueri nihil audiunt, nisi Sortes currit, Plato disputat. Si asinus uolat, asinus habet pennas, & Sortem currere est possibile. LEO. Quid igitur hic consilij? VRS. Eadem opera licebit pueris prescribere, uulgo non obuia rerum uocabula, aut uoces exquisitas, nonnunquàm & bonæ rei quippiam admonẽtes. Tam facile discitur quid sit lacerta, aut stellio, aut pectũculus, quàm quid sit canis aut uacca: nec difficilius scribitur, Tempori parce, q̃ uacca mingit, aut canis latrat. Interdum unica uox cõtinet perfectam sententiam, ut σωφρόνει. Id multo magis conuenit obseruari posteaq̃ eò profecit puer, ut integri uersus iam sint ad imitationẽ præscribendi. Quur enim non potius illis prescribitur hoc carmen, Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu, q̃ illud, Aut pluit, aut ningit, aut nostra pedissequa mingit? In hunc usum ualebũt celebrium uirorum apophthegmata, exquisitæ breuesq; sententiæ, prouerbia, ac lepide dicta, cuiusmodi supellex ad omnem dicendi facultatem plurimum habet momenti. Quorum si quis singula contemnit, huic occinam illud Hesiodium, Pusillum pusillo si addideris, cito nasci magnum aceruũ. Et hæc inter lusum licet ediscere, nullarum rerum memoria tenacius ad ipsam usq; senectutem hæsura animo, q̃ quæ sic infixæ sunt. Vides igitur quanta nobis hic pereat utilitas. LEO. Video sane quanta pars ætatis nobis instituentium uitio præterfluat. VRS. At uereor

reor ne te delassem, si quæ de pronuntiando dis-serta sunt referam. LEO. Imò hic habebis attentissimum, quandoquidem hoc erat, quod me potissimum solicitabat, q̃q̃ & cætera iuuat audisse. VRS. Quanq̃ ergo puer à nutricibus non discit latine, tamen referre dicebant, inter quas primum inciperet æmulari uoces humanas: quod ætas illa, quoniã præter imitandi facilitatẽ nihil habet, nescio qua rerum humanarum infelicitate, citius propè reddit praua q̃ recta. Ac mire fit, ut semel infantibus arrepta uitia in adultam ætatẽ sic prosequantur, ut ægre queant dedisci. Sunt autẽ oris ac linguæ diuersa uitia, quorum aliquot nonnullis affixit natura, sed plura peculiaris cuiq; uel negligentia uel affectatio: bonam autẽ huius mali partem affert ipsa natio, ut in sonis suum quæq; quiddã habẽt, Hispania, Italia, Gallia, Germania, Britannia, ac bene nobiscum ageretur, nisi singulæ nationes in uarias uitiorum species essent distractæ. Si labdacismus est impotentia sonandi caninam literã, multis uitiũ hoc adnascitur, nonnullis delitiæ loquendi conciliant. Etenim quum cæteris animalibus lingua sit absoluta, homini tot uænis astricta est, ut quibusdã necesse sit intercidi. Nec hoc succedit omnibus. Nam alijs deterius accidit uitiũ, alijs lingua nihilo secius manet inexplanata. Memoriæ proditũ est, Demosthenẽ eloquentiæ principẽ, primã artis suæ literã sonare nõ potuisse. Metellũ Pontificẽ lingua adeò impedita fuisse narrant, ut mẽsibus aliquot tor-

Dep.

tus

tus credatur, dum meditatur in dedicanda æde uerbis ſolennibus dicere, opiferæ Cereris. Nam labdaciſmum,quem ſcriptores notant in Alcibia de,delicijs non naturæ tribuēdum arbitror. LEO. Ab iſtis ortum arbitror, quod pellucidū dicimus pro perlucidum,& pellicere pro perlicere,& pellegere pro perlegere. VRS. Haud male coniectas. Huius literę difficilior eſt ſonus in initio & fine dictionis,tum in medio duplicatæ, mollior ſi ſimplex incidat inter duas uocales,Exempla ſunt,regula,motor,carrus,oro: Durior etiam apud Græcos,qui poſteriori addūt aſpiratione͞,ut χίμαῤῥυς. Hanc aſperitatem quidam mitigant ſuppoſito σ, ut θαρσεῖν pro θαῤῥεῖν. Idem faciūt hodie mulierculæ Pariſinæ, pro Maria ſonantes Maſia, pro ma mere,ma meſe. Etiam ſi non defuerunt apud Latinos, qui contrà Fuſios ac Valeſios uerterint in Furios ác Valerios,atq; è diuerſo, qui honos, labos,uapos & clamos dicere maluerint,q̄ honor, labor,uapor,& clamor. His contrarij Eretrienſes, σ,uertunt in ρ,dicentes σκληρότηρ pro σκληρότης, atq; hinc prouerbij iocus in Eretrieſium ῥῶ. LEO. Iſto uitio noui plurimos qui laborent. Verum eſt'ne remedium huic incommodo? VRS. Eſt, ſi intercidas plectri retinacula,niſi quod non uacat periculo tangere uænas, hoc eſt, iuxta prouerbium, τὰ ἀκίνητα κινεῖν. LEO. Quum animantibus quibuſdam tam mobiles & expeditas linguas natura dederit,demiror homini datam tot aſtrictam retinaculis. VRSVS. Multis expediebat nullam

Iam omnino linguam esse datam. Nunc neq; uænarum retinacula, neq; uallum duplex dentium, neq; labiorum oppositi muri satis cohibere possunt membrum hoc nimium uolubile. LEO. Nihil uerius. VRS. Rursus aliis tam est docilis, ut animaliũ omes uoces indiscreta similitudine reddant, ut si tantum audias, credas uagire puerum, rixari fœminam, tussire senem, grunnire porcũ, canere lusciniam, hinnire equum, latrare canem. Cæterum aduersus omne linguæ uitium ualebit difficultatib⁹ exerceri, quo studio Demosthenes fertur triplex naturæ uitium expugnasse. Nam ad exprimendum ρ linguam habebat inexplanatam, & spiritosus erat, & uox infirmior multitudinis fremitu intersecabatur. Itaq; tophis subter linguã impositis, uersus cõplures aduerso mõte cõtinuato spiritu resonabat, & in littore nõnunq̃ quũ maxime fremeret mare, dictionẽ exercebat, ut populi fragorẽ assuesceret contẽnere. Ita uerũ esse docuit, quod à sapiente quodã dictum est, μελέτη πάντα δύναται. Huic simillimum est quod indicat Fabius. LEO. Quod nam? VRS. Existimat os puerorũ reddi firmius, ac sermonem expressiorem, magisq;, ut ita loquar, articulatũ, si ab his exigatur, ut nomina ac uersus affectatæ difficultatis ex pluribus asperrime inter se coeũtibus syllabis catenatos ac ueluti confragosos q̃ citatissime uoluant. Huiusmodi uersus Græci χαλινοὺς dicunt. Difficultas autem syllabarum aut dictionum, partim nascitur ex natura literarũ, partim

ex connexione, partim ex turba concurrentium consonantum, partim ex his omnibus. ρ, ξ, ψ, & nostrum f durioris sunt soni, unde rerum, rex ξίφος, psittacus & effero, non admodum facile sonantur. Quemadmodum & μνᾶ, πλύω, βδλίω, non quod difficultas sit in singulis, sed quod parum sibi congruant. Turba gignit difficultatem, quũ dicimus glans, & mons. Nam in his sunt duæ literæ, l & n, omnium suauissime sonantes. Ex multis simul nascitur difficultas, quum dicimus ferrum, feruor, fragor, πτύξ, trabs, Thrax, Xerxes, Artaxerxes, αἰσχροκερδής. Numerus autem literarũ in eadem syllaba non excedit senariũ, qui tamen apud Gręcos ægre reperitur. Fraus cõstat quinq; literis, sed unam absorbet diphthongus, strix habet quinq; sine diphthongo, quẽadmodũ frons. Scrobs & stirps apud nos sex literis constat, soluta duplici: si Græce scribantur, quinq; duntaxat: si stirps sonetur, eadem syllaba septem literas cõplectetur. Apud Græcos una dictio profertur, cuius altera syllaba sex literas cõplectatur, αἰσχρούς, sed ita ut diphthongus initialis separetur à consonantibus sequẽtibus, & ου diphthongus pro duabus supputetur. Versuum, quos à Græcis χαλινοὺς appellari diximus, hoc exemplum fingi poterit, Γραῦν χθονίαν αἰσχρὸς φθόνος εἶρ ῥαχιν, οὐ ξίφος ἰχθρους. Item, Arx stridens rostris, sphinx, prester, torrida seps, strix. In huiusmodi difficultatibus exercitatio reddet linguam ad cætera tum expeditiorẽ, tum explanatiorem. At hodie satis esse credunt,

si facillimas quasq; syllabas tradant, ba, be, bi, bo, bu, & harum similes, quum difficiliores magis sint inculcandæ, μνα, πτυ, βδε, τλα, ξῦν, κνα. χνο, θνα, πνα, γνα, χθὼ, φθι, κτη, τμη, δμω, θλα, σμα, σφρα, uelut in μνημοσύνη, πτύω, βδέω, τλάω, γραῦν, κνάω, χνοῦς, θνητὸς, πνέω γνώμη, χθὲς, φθείρω, κτῆμα, τμῆμα, τμῶλος, δμῶες, θλάω, σμάραγδος, σφραγὶς, & huius generis aliis, quibus exprimendis, nisi protinus assuescat os tenerũ, uix unquam feliciter sonabit. LEO. Animaduerti quosdam esse, qui laborent in exprimendo, s, maxime si adhæreat illi cõsonans, ut est. VRSVS. Blesi. Hoc est, ut opinor, quod nos blesum uocamus. L. Ab hoc uitio tã absunt Hispani, q̃ Eretriẽses absunt à Demosthenis uitio. Galli contrà solent uel elidere, uel obscurare literam hanc, lingua uulgari scribentes est, & sonantes ẽ, producta uocali, Græci ψελλισμὸν appellant, teste etiam prouerbio ψελλῷ οὐ πιστευτ. VRS. Vitium hoc leuius est, & à nõ nullis affectatur, qui blandiores uideri student. Illa deformis linguæ hæsitantia, & oris tremor, spasmi species, easdem syllabas iterans. Id aliis accidit in principio dictionis, aliis in fine, uitiũ inemendabile si in ætatem paulò adultiorem durauerit, præcipuusq; labor est in k, q, c, p, & t, ueluti quum κυκυκύρι dicunt pro κύρι, & pepepepedi pro pepedi, cacacaue pro caue, Tutullius pro Tullius. rursus, Romama pro Roma. LEO. Vtriusq; mali possum exẽpla nõ illepida narrare. V. Libet audire. L. Sacrifico cuidam insigniter hoc uitio laboranti, quum adornaret immolare, contigit mini-

minister pariter eidē obnoxius malo, ubi uentū eſt ad κύρι ἐλέησον, quod apud nos alternis dicitur, multum temporis abſumptum eſt, priusq̃ ter ab ſoluerēt kyrie eleeſon. Tandem ſacrificus, ut hoc hominū genus dicitur iracundius eſſe: quid fiet, inquit, tun' me derides, an ego te? Et exutus amictu ſacro, reliquit aram, magno riſu noſtro. VRS. Eodē malo laborare uidētur ranæ, nunq̃ abſoluētes ſuum illud κεκεκεκεκεξ. LEO. Apparet. Alio quodam die audiui medicum in frequētiſſima ſchola diſputationi præſidentem, alioqui doctum ac uocalē, nec inexplanatæ linguæ, tantum geminabat extremam ſyllabam omnium dictionū, pro Auicenna pronuntians, Auicēnana: pro ſcriptor, ſcriptortor, pro dicitur, diciturtur: pro pharmaca, pharmacaca. Id Græci, ni fallor, appellant τραυλισμὸν, aut βατταρισμὸν: fortaſſis & βαττολογίαν, τραυλισμός.
niſi quod battologia repetit orationē. Sic enim apud Ouidium Battus, In illis Montibus, inquit, Battologia.
erant, & erant in montibus illis, Quem imitatus Mercurius reſpondet, Et me mihi perfide prodis, Me mihi prodis. Nos forte non inepte dixerimus titubantiam oris, cui cognatum eſt uitium hæſitantiæ, quam Græci, ni fallor, uocant μογιλαλίαν. μογιλαλία;
Hæc omnia grauiora facit ira & pudor, aut alioqui uehemens affectus, quumq́; alioqui, iuxta Fabium, pectus ſoleat facere diſertos, his diuerſum quiddā accidit ut obtumeſcant. Noui q Auſtro flante ſic hæſitabat, ut uix duo uerba poſſet eloqui; LEO. Vnde hæc mala? VRSVS. Partim

Partim à natura,sed multo maior pars à consuetudine praua, præsertim primis annis hausta. L. Ecquod habes his uitijs remedium? V R S. Præsentissimum. L E O. Obsecro quod nam? V R S. Vt taceant. L E O. At nulli minus id possunt. V R S. Ergo mittantur ad exemplum Demosthenicum, ac dictũ illud sapientis, μελέτη πάντα δύναται. L E O. Indica rationem. V R S. Accipe,qui laborant in k, recitent subinde carmen in laudem Caluicij,concinnatum ex dictionibus continẽter literã hanc primo loco habentibus. Qui in t,tales uersus repetant, ô Tite tute tati, tibi tanta tyranne tulisti. Aut tales,At tuba terribilem tonitum,taratantara dixit. Nihil negotij fuerit alios cõsimiles effingere. Profuerit & singulas dictiones,& orationis membra lente distinctéq; pronuntiare,per silentia quodammodo redintegratis linguæ uiribus, uoce nonnihil ad cantum deflexa. Noui siquidẽ uiros adprime doctos,qui priuatis colloquijs deformiter titubabant,é cathedra clarius loquẽtes, nihil eius uitij præ se ferebant. L E O. Nihil hic ualet medicorum ars? V R S. Arbitror posse nonnihil si nossent omnes musculos,quorum opificio uox promitur. Qui si fallant,habemus hic diuam opiferam. L E O. Quam ais? V R S. Eulaliam. L E O. Ad diuos confugere extrema quidem est ancora,& fausti ominis nomen est. V R S. Quoniã aũt grammatici excipiunt uocabulorum controuersiam,labdacismus fortassis erit, ubi quis literam l,nimium operose sonat, ueluti si quis pro lucet, dicat,

Labdacismus.

dicat ellucet, aut pro salua sallaua, quod uitium in magnis aliquot uiris deprehendi, sed quod affectationi potuit imputari, non naturæ. Dum enim plus iusto studerent articulate loqui, in hóc malum deflexerunt. Idem faciebant in litera ρ, sonantes seraua pro serua. Cui simillimum uideri potest, quod Græci uocant Iotacismum. Id mihi uideor in quibusdam genere Græcis animaduertisse, nominatim in Georgio Hermonymo, qui se Spartanum prædicabat: docebat autem Lutetiæ, recēti memoria plurimis adhuc notissimus. Et apud Latinos sentias quosdam intorquere os, quoties hanc student nimiū exprimere. Alij quoties sequitur uocalis in eadem syllaba, pro, i, propemodum sonāt, g, ut gecit pro iecit, egicio pro ejjcio. Quanquam enim iota trāsit apud Latinos in consonantem, si pręcedat in eadem syllaba uocalem, tamen sonus debet esse medius inter uocalem & consonantem. Sunt qui simili loco, pro i, sonāt ferè, z, ut pro ianua, zanua: pro Iesus, zesus: pro iecur, zecur. Rursus alij sic sonant tibijs, Virgilij, ut ante secundum, i, uidearis audire, i, cōsonantem. Sunt rursus qui pro, e, sonant i, quēadmodum pro a, o, de quibus suo loco dicetur conuenientius. Addunt & Mecacismū, dū plus æquo exprimitur m, incidens in finem dictionis sequēte uerbo, cuius prima sit uocalis, ut, plurimū, audet, hic uolūt m, euanescere, ut sones plurim audet. Sicut in illo Cicer. Quousque tandem abutere. Tandabutere dici uolūt. Quod ut nolim refellere,

Iotacismus.

Mecacismus

ita credo nonnihil interesse inter sonos, quum dicimus, animam agit, & quum, anima agit. Nam in priore nisus sentitur uolētis exprimere m. Vnde Fabius admonet m, in talibus syllabis, neque prorsus audiri, neq; tamen non audiri. Idem inter oris uitia commemorat ἰσχνότητα, quam exilitatē siue angustiam possis dicere, quæ quibusdā adest natura, alijs morbo, nonnullis accersita, dum arctatis arteriæ circa imas fauces musculis uox semiclusis labijs promitur. Cui contrariū est πλατυασμὸς, quum nimium diductis faucibus, & ore plus satis patulo sermo promitur. Quorum illud si natura contingat, Aristoteles timidæ mentis argumentum interpretatur, hoc stolidæ. Holladíæ uulgus ferè summis labijs loquitur, Germani superiores contrà, penè ab umbilico uoces ducūt. Vnde mihi uidentur hæc duo nō solum ad uocis exilitatem, uerū etiā ad oris indecora uel contractionem uel diductionē pertinere. Nam in multis utrunq; uitium deprehenditur, in quibusdam etiā nationibus ut peculiare ridetur. In non paucis autem deprehendas κοιλοστομίαν, quum uox uelut è cauo specu, eq; recessu oris resonat. Et hoc uitium quibusdam addidit natura, quę linguam dedit prima sui parte nimis astrictam, alioqui latiorem, unde fit ut uox fundatur in latera faucium, atq; hinc repercussa resonet, qualis umbrarū uox esse fertur, eoq; qui simulant huiusmodi spectra ex olla fictili uerba promunt. Quidam habent coruinum quiddam, quidam stridulum, quidā

πλατυασμός.

κοιλοστομία.

balbum ac ſenile, qualis eſt edentulorum oratio. Nonnullis totus ſermo craſſior eſt. Sunt qui uoluta intus lingua neſcio quid Hebræū reſonant. Sunt qui ſyllabas extremas audiri non ſinūt, uerum eas quodammodo deuorent degluti untq́ꝫ. Quod ut pueri metu faciunt, ne deprehendantur inemendate loqui indicio poſtremæ ſyllabæ, ita quibuſdam populare eſt. Hos Græci peculiari uocabulo dicūt κολοβῶτας, id eſt, decurtatores. Rurſum ſunt, qui poſtremas omnes acuant Hebræorū ritu. Sunt coruicines, quibus ſonus per naſum erumpit potiusq̃ per os, ut omittā quorundam gargaliſmum, ructū, ſingultū, crepitum inter loquendū, ſtridores, ſibilos, gemitus, ſcreatus, tuſſes, riſus, quibus ſermonis tenor interciditur. Deniq́ꝫ innumera ſunt uitia, quibus à recta pronunciatione diſceditur, quam Græci ὀρθοέπειαν appellant. De quibus incidet poſtea locus, ut aliquid dicamus. Hæc in hoc tantum admonui, ut infantem ab eorum conuictu ſubmoueamus, qui uitijs huiuſmodi ſunt obnoxij, & ſi quid uel natura traxit, uel conſuetudine contraxit huiuſmodi uitiorū, mature corrigatur. Iam eſt peculiaris quidam cuiq́ꝫ genti oris ſonus, quem proprijs uocabulis notare difficile ſit. Quanq̃ enim Latini & Græci iiſdē penè literis utuntur, tamen agnoſcas Græcum etiam Latina ſonantem, & contrà Græcus agnoſcit Latinum Gręca ſonantem. Hanc ob cauſam Fabius ſuadet quidem ut puer prius Gręcis imbuatur, non uult tamen diutius in his hærere,

κολοβῶται.

rere, ne peregrinus oris sonus prosequatur etiã Latine loquentem. Fœdum est enim hominem in ea lingua uideri hospitem, in qua natus est: q̃d si negligentia acciderit, desidiæ crimen est: si affe ctatione, stultitiæ tribuitur. Nec desunt tamen qui hoc ceu bellum & elegans affectent, sic rede untes nobis ex Gallijs, ut Latine sonantes uix intelligantur, & si quid habeat ea gens in dicendo uitij, puta uolubilitatem linguæ, confusos accen tus, aut uoces, nihil significãtes, interiectionum uice subinde mixtas Latinis, id studiose repręsen tent, quo ualde Galli uideantur. Nos quoniã Græ ca ferè discimus in hoc ut ueterum libros euolua mus, potiusquàm ut cum uulgo Gręcorum fabu lemur, præstiterit utriusq; linguæ rudimentis semel traditis, in Latinis potissimum exerceri, donec confirmatus adolescens iunctis utriusq; literaturæ studijs tuto progredi possit. LEO. Et istã fabulam, Vrse, haudquaquam surdo canis. VRS. Nunc si non est molestum audire, restat comme morare quid illi de sonandis singulis elementis tradiderint. LEO. Audiam perlubens. VRS. Atq; operæpretium est, nunc enim tota ferè pronunciatio deprauata est, tũ apud Græcos, tum apud Latinos. LEO. Quid audio? VRS. Sic est. LEO. Vn de nam id accidit? VRS. Partim ex corruptela uul gati sermonis, partim hinc quod soni uocum scri bi non queũt. Et scis quàm nihil apud populum stabile, nihil diuturnum. Verum hoc interim mihi credas uelim, mox demõstraturo, si pauca de

sonis

sonis elementorum perstrinxero. Ordiar autem à uocalibus, quas Latinis esse quinque notissimũ est, a, e, i, o, u, Græcis septem, α, ε, η, ι, ο, υ, ω. Et apud Latinos omnes ancipites esse, apud Græcos duas natura breues, ε, ο. totidem longas η, ω. tres ancipites, α, ι, υ. A, diducto largiter ore profertur, lingua recta suspensa, hoc est, nec ad palatum superius afflexa, nec in anterius dentium uallum impacta, nec in latus dentium illisa, nec inter dentium hiatum inserta, uoxque prodit ex arteria profundiore, feriens superius palatum. Quur autem uocales dicantur, à grammaticis iam olim reddita est ratio, uel quod elegantius sonent, uel quod per se sonent, uel quod aliis, quæ consonantes uocantur, uocem tribuant alioqui mutis, nisi si quid ædant stridoris, aut strepitus, unde & semiuocalibus nomen. Sed quur Alpha inter uocales primas teneat difficilior est quæstio. Quidam aiunt Cadmum ob hoc primum locũ tribuisse alpha, quod Phœnicũ lingua bos appelletur alpha. At Hesiodus in paranda re familiari, primo loco secundum domum & uxorem ponit βοῦν ἀροτῆρα. Hæc ratio per me Casca Cascis arrideat licebit, mihi probabilius uidetur, ideo prælatam apud Græcos inter ancipites, quod hæc in compositione syllabarum præcedit, i & y, quum ipsa nullã sequatur uocalem in eadem syllaba. Nam in uaco, & iaceo, prima migrauit in uim consonantis. Nec aduersatur huic rationi, quod adfertur ab aliis, hoc esse naturale minimeque operosum loqué

Vocalium sonus.

A

di exordium. In loquendo ſiquidem nihil eſt pri-
us, quàm diducere labia, mox nullo alio uel den-
tium uel linguæ uel labiorum adminiculo, uocē
ædere, quam primam audimus in pueris naſcen
tibus. LEO. Nec diſſimilem in ouibus balātibus.
E VRS. E, ſimili modo profertur, niſi quod ore par-
cius diducto uox non erūpit ſurſum in cœlum
oris, ſed in linguā infimā, quę leuiter ferit utrinq;
dentes molares, reductis introrſum labijs. Inter
H hæc duo elementa, medium eſt η Græcorū, quod
effertur rictu minus diducto q̄ in α, hianti ore ta
mē ac minus in ima depreſſo ſono q̄ in e. Cogna
tionem arguit primum, quod apud Græcos, α fre
quenter uertitur in η, & contrà, ut πρίηπος pro πρία
πος, & ἰητρὸς pro ἰατρὸς. Cōtrà τὰν pro τὴν. Apud Lati
nos fere uertitur in e longum, ut κρῆτες Cretes, &
σπλὴν ſplen. Id ſi craſſiore Minerua tibi demon-
ſtrari cupis. LEO Craſſiſſima ſi potes, atq; adeò,
ſi libet, adipali. V. Iuſtum eſt a, quod ſonant Itali.
Immodice diducto uel rotundato magis ore ſo-
nāt Vueſphali, referētes Ionicū quiddam, qui pro
alpha ſonabāt ω mega, dicentes θῶυμα pro θαῦμα,
& ὠυτὸς pro αὐτὸς: ut alij contrà, ω uertunt in alpha,
pro τῶν νυμφῶν dicentes τᾶν νυμφᾶν, μουσᾶν pro μου-
σῶν, πρᾶτος pro πρῶτος. Item ε uertitur in η, ut ἤυτε
μέγασε, & pro ἐβουλόμην, ἠβουλόμην. Hæc nimirū argu
unt his literis uicinitatem quandā in ſono fuiſſe,
η uero ſonuiſſe uidetur apud Græcos, quod nunc
ſonat a, Scotorum, aut Hollandorum quorundā:
neque enim omnes eodem modo promunt, ac

de uulgo nunc loquimur, ne quis eruditus existimet hæc ad se pertinere. Quum enim hi dicunt ama, mediam uocem audis inter ama & eme Italorum more pronuntiata, quemadmodum alij, quos diximus Ionicum quiddam referre, penè sonant omo. Nunc fac ut oculis os, auribus sonum obserues, dicam primū Italice, mox Scotice, postremo Vuesphalice. LEO. Isthic sum. VR. Ama, ama, ama, fama, fama, fama, Ianua, ianua, iauua. LEO. Crassissime profecto dicis, sed tamē ad docendum apposite. Verum age dic, discernuntur ne hæc apud Græcos? VRS. Vix sentias, sed iam admonui pronuntiationem esse corruptā. Siquidem quam nunc habent eruditi, non aliūde petunt quàm à uulgo, scis quali magistro. uerū de his mox. Iam in e pronuntiando non leuiter peccat uulgus. L. Quid ita? VRS. Quia literam eandē aliter atq; aliter sonant, nūc ore contractiore, nūc diductiore. de nostratibus loquor. Nam Italorū hic, ut in alijs plerisq;, correctior est enuntiatio. LEO. Expecto exemplū. V. Dicā in genere, Quū e, finit syllabam, sat recte sonant, quum adhæret illi consonans, uel a sonant pro e, uel u, hoc est, à Scoticū. Demo probe sonant & peto: at perago, perua, sperma, diductius resonant q̄ par est, & in lego cōtractius efferūt q̄ in lex, in rego q̄ in rex, in rebus q̄ in res. Verum id potissimum accidit, quum e excipitur à consonante r: quum enim dicunt aspergo, secunda syllaba, nihil aliud sonare uidetur, q̄ in sparta prior, & in peruius prima

minimum, aut nihil discernitur ab ea quæ præce dit in paruo. Item in pertundo & partu, erro & arra, uerro & uarro. Idem uitium sequi solet etiã Græca sonantes, ni fuerint diligenter admoniti. Vix enim in πίρθω, & παρθένος discernunt primas syllabas. Quanq̃ hæc feliciſſime diſtinguunt Itali. Vix in alia litera magis errat Gallorũ uulgus, a pro e sonantium, si quando uocalem excipiat n, aut m. Nam pro quendam sonãt quandam, pro ualens ualans, pro redẽptus redamptus, pro emblemata amblemata, pro uendo uando, pro uentosus uantosus, pro tempus tampus. Hunc errorem subinde deprehendimus in codicibus Gallorum manu descriptis aut excusis. Hic tamẽ emẽdatior est Picardorum enuntiatio, nec ulli magis peccant, q̃ qui sibi mire Gallice uidentur loqui. Quod non in aliud monemus, nisi ut hæc protinus dediscant pueri, ne prauus usus hæreat Latina Græca'ue sonantibus, ne'ue pro ἔμπορος enunțient ἄμπορος, pro ἔντερα, ἄντερα. LEO. Prorsus ita

I res habet. VRS. Iam i, minus etiam diducto rictu sonatur, ac pene coëuntibus dẽtibus, quibus sensim lingua illiditur, qua parte sunt genuini, sic ut labia nihil adiuuent sonitum, sed reducantur potius aliquantulum, ut in e. LEO. Teneo. VRS. Et hic bifariam peccatur à multis. Siquidem apud Brabantos, campestres quidam pro i, sonant diphthongum Græcam ει, quã euidenter audis quũ nostrate lingua dicis ouum, & quum Latine dicis, hei mihi, ueluti quum pro uia dicũt ueia, pro

pia peia. Rursus Scoti quidam pro e sonant pro-
pemodũ i, dicentes pro faciebat, faciĳbat. Ea con
suetudo sic à puero inhæserat Ioãni Coleto, uiro
alioqui facundo & erudito, ut nec in pronuntiã-
do, nec in scripto uitaret, quamlibet admonitus
ab amicis. Ne is quidem nouus est error. Siquidẽ
Victorinus Afer obiurgat discipulos suos, quod
e, uerterẽt in i. Et rursus i, scriberent pro e. Ac pri-
sci grammatici, cumq́ue his Fabius, ostendũt esse
quẽdam sonum medium inter e & i, unde factũ
est, ut aliĳ hanc, aliĳ illam usurparent in eisdem di
ctionibus, uelut heri & here, aduerbium sono uo
calis discernebatur, ab heri & here nomine. Eius-
dem arbitror generis, tempori & tempore, luci et
luce, uesperi & uespere aduerbia. Hæc interdum
transit in consonantem, quam nonnulli, sicut an-
te monuimus, plus satis sonant, sic dicentes iecit,
quasi dicãt gecit, & maiestas, quasi sit magestas.
Idem usurpant in Græcis dictionibus, quũ apud
Græcos semper sit uocalis, nec unquã præcedat
alterã uocalem in eadẽ syllaba, ut ἰατρὸς ἴαμβος.
unde perperam quidam iambus sonant dissylla-
bum, quum uox ἀμφίβραχυν reddat. Sequitur o, si- O
militer ex arteria prodiens, quemadmodum a,
lingua recta quidem, sed introrsum modice re-
ducta, nisi quod ore nõ solum diducto, uerume-
tiam rotundato, quod ipsa elementi figura uidet
admonere: quemadmodũ i, sua forma monstrat
uocis exilitatem: & e, labiorum reductionẽ uelu
ti pingit, Itẽ A, patens inferne, rictus diductionẽ

 pingit.

pingit. Peccatur & huc à uulgo, nostrate dūtaxat. Nam Græci Italiq; recte sonāt. LEO. Quo pacto? VRS. Primum Batauí literā hanc promunt ore contractiore quàm opus est. Deinde eandem non eodem modo promunt. Rotundius enim sonat in nos, q̄ in non: in nono, q̄ in nonne: in omē, q̄ in omne. In posterioribus enim nostri pene sonant pro o, u Vuesphalicum. LEO. Plane sic habet. VRS. At faciam ut clarius etiam rem perspicias. Quod discrimen uulgo facimus inter on, q̄d est in tondere, & inter un, quod est tundere? Nec aliud sonat o, in rhombus q̄ u, in tumbo. Item in sunto, & fontes. Atq; o diductiore rictu pronunciandum erat. LEO. Quàm multa peccamus imprudētes. Vel ab asinis discere poteramus huius literæ pronuntiationem, unde illi apud Græcos

ω nominis initium, & ipsi sono ὀγκηθμός. Item ω mega nihil differt ab ο, nisi quod α lōgum differt ab α breui. Nam pleniore sono profertur, de quo suo

V dicetur loco. VRS. Pro u uero formabis v Gallicum, si labia paululum exporrecta iunxeris. Eandem literam rotundiore mugitu sonant Germani, immodico Vuesphali. Nec desunt tamē apud Italos, qui Gallorum more sonēt. Nonnulli labijs ad triū digitorū spatiū indecore porrectis, nimirum Batauis contrarij, Romani modice. Nec omnibus feliciter cedit huius uocis affectatio. Nostrates enim quum affectant Vuesphalorum imitari mugitū, nō possunt id perpetuo facere, subinde lingua relabente ad insolitā, ueluti q; natiuā

con-

consuetudinē. Hanc inæqualitatē frequenter animaduerti in sacrificis Britannis. Nos in hac pronuntianda parꝝ etiā nobis ipsis constamus, nonnunq̄ in eadem dictione, uelut in nullum, mullū, & Tullium. In prima siquidē audis u Gallicū, in postrema u Vuesphalū. Idem sentire licet in huc & hūc, & in illud & illum. Sona Batauice fontes. LEO. Fontes. VRS. Sona fundere. LEO. Fundere. VRS. Quod discrimen audis inter utriusq; dictionis primam syllabā? LEO. Nullum. VRS. In rhombo & plūbo, quid interest inter u, & o? LEO. Profecto nihil. VRS. Nunc mihi considera eiusdem literæ sonum nō eundem. Sona, sunt. LEO. Sunt. VRS. Tolle n, & dic sutor. LEO. Sutor. VRS. An non sentis longe diuersum sonum? LEO. Quid ni? VRS. Rursus, sona plumbū Batauice. LEO. Plumbum. VRS. Abijce liquidam & dic pluma. LEO. Pluma. VRS. Quid simile huic u, cum illo? LEO. Nihil. VRS. Idem senties, si ex tundere facias tutudi, ex fundere fudi. Verum in his fortassis aliquantulum patrocinabitur antiquitas, quæ sont & dicont, quàm sunt & dicūt scribere maluit. Apparet enim & apud illos paulò sonantius fuisse u sequente liquida n aut m, q̄ in alijs dictionibus, queadmodū contrà in nonnullis mediū sonū obtinebat inter u & i, ut in optimus, pessimus, unde ueteres has uoces per u scribēdas putabāt, optumus, pessumus, quod in his aliud quiddā sonaret i q̄ quod in opimus & fimus. LEO. Probabile est quod narras. VRS. Tantū de inconstantia. Nunc

ad cætera propero. VRS. V Gallico respondet υ Græcorum, uel ipsa teste figura, quæ nobis cum illis communis est, nisi quod nos sinistram lineã inferne protraximus υ y. V Vuesphalico respondet Græca diphthongus ου. Argumentum est, q̃d in usurpandis Græcorũ uocibus, ueteres frequenter υ Græcum uerterunt in u nostrum, uelut in ὗς & sus, in μῦς & mus, in ὑπὲρ & super, ὑπέρβιος & superbus. Quin & Latini ex sylla sullam faciunt, ex ἀφύα apua. Idem arguit quod Galli uulgo pro θύειν dicũt tuer, id est mactare, usurpata uoce Græca, nisi quod abijciunt aspirationem. LEO. Poteramus istud uel ab aui ridicula discere, cui Græcis à cantu natiuo uocabulum κόκκυξ, quæ in θέσει cantus non i, sonat, sed u Gallicum, & hanc Latini cucûlũ, ni fallor, uocant. VRS. Qui scis an auis hęc non eodem modo canat apud Grecos, quo apud nos? Sed ad rem. Rursus ου, uertũt in u productũ, ut μοῦσα musa. Hoc adeò uerum est, ut prisci Latini, si quando uolebant syllabam haberi longam, addere soleant, o, loumẽ scribentes pro lumen, noumen & floumen pro numen & flumen. Habet aũt omnis syllaba longa sonũ uegetiorem breui. Nã producta uocalis, quemadmodum & diphthongus, gemina quodammodo uocalis est. Atq; ex huius rei neglecta distinctione grauissimus error, quum apud Græcos, tum uero apud Latinos extitit. Apud Græcos enim, ut dixi, sunt natura longę η & ω, cumq; his omnes diphthongi, breues ε, ο. apud Latinos uocales omnes sunt ancipi-

tes.

tes. Quanquàm autē græcus pronuntiando confundit longarum ac breuium discrimen, tamen scriptura distinguit. Apud Latinos non idem fit. Qua de re post referam quod accepi. Illud notissimum est, u literā apud Latinos frequēter trāsire in naturam consonantis, interdum elidi, nonnunquam sic admisceri consonantibus, ut prope modum euanescat, at non quibuslibet. Consonans fit, quoties præponitur uocali, uel sibi, uel alteri in eadem syllaba, ut uanus, uenor, uinum, uoueo, uulnus, seruus. Eliditur sequens m uel n, ut in enimuero & inuidia. Docent hoc Versus Terētiani, Sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares. Et, Enimuero Daue, nil loci est segnitiæ neq; socordiæ: In quorum priore nisi primo loco sit tribrachus, sininui non cōstat senarius trimeter, sic ut secundo sit spōdeus dia, lau, dia, contractis in unam syllabā, in posteriore nisi primus locus habeat anapæstum, non constat uersus tetrameter. Neutrum autem fieri potest, nisi illic elidas u, hic u cum m, quæ inter consonantes ferme solet elidi præcedens uocalem. Admiscetur autem his consonantibus, q, c, g, & s, ut qui, cui, æquor, sanguis, anguis, lingua, consuesco, & suauis, si adsit synæresis, & faciat dissyllabum: nec tamen hic prorsus euanescit. Vulgaris lingua idem facit in pluribus, uelut quum dicit fatuum, ut admiscet d. græci uero quemadmodū pro nostro f, utcūq; sonant φ, ita u nostrum consonans, quo reddant non habent, nisi quod recentiores in hoc abutuntur

V consonans.

δῶρα

tur β, de quo paulò post dicetur. Si quando coguntur nostra suis literis scribere, pro Valẽtinus faciunt οὐαλεντῖνος, pentasyllabum. In hunc opinor usum Aeoles repererãt digamma, quod medium esset inter u, consonans nostrum & φ Item quoties exprimunt Quintus, non aliter possunt q̃ κοῖντος, quod eam literam euanescentem nesciant. Apud illos enim u, nullã præcedit uocalẽ in eadem syllaba, præterq̃ in diphthongo abusiua, υ. Indicauit hoc Quintilianus, in æquor & æquũ, reddi sonum quẽ Græci nullo modo possint exprimere. Hactenus de uocalibus aliquot. Nũc ad diphthongos accingor. LEO. Vt lubet. VRS. Primum illud manifestius est, quàm ut uel ab eruditis Græcis negari possit, pronuntiationem, quæ nũc uulgo Græcorum cum doctis est cõmunis, perperam sonare diphthongos aliquot, & simplices item aliquot uocales. LEO. Quas? VRS. Nonne η, ι, υ, ῃ, ει, οι, indiscreto sono pronuntiant? LEO. Ita mihi uidetur, aut si quid est discriminis, uix aures percipiãt. VRS. Frustra igitur sunt distinctæ literæ, si sono nihil differunt. LEO. Apparet ueteres aliter pronũtiasse. VRS. Rursus aliquot ideo dicuntur proprie diphthõgi, quod duæ uocales ut scribuntur, ita sonantur, quod idem in his nõ fit quæ dicuntur abusiue diphthongi. LEO. Sic est. VRS. Atqui in αι, οι, ει, quid audis nisi simplicẽ uocalem? LEO. Nihil prorsus. VRS. Ne quid iam disceptem de αυ & ευ, in ου quid audis nisi u, Vuespalicum? Non enim aliud sonat prima huius uo

De diphthongis

εἰς αἴρω quam prima huius ἱρῶ. Nec aliud sonat ultima in θαυμαστοὶ, quam ultima in ἑλληνιστὶ, aut ἀκοντί. Nec aliud penultima in ἀλήθεια quàm in σοφία. Proinde aut frustra discernuntur à diphthongis impropriè dictis, aut alio sono proferebantur quàm hodie proferuntur. LEO. Non habeo quod refellam. VRS. Rursus, quid aliud audis in ultima γραμματικῆς, quàm in ultima κλιμακὶς: Quid aliud sonat penultima in μία pro una, quàm in μυῖα pro musca, & ἀφύα pro pisce? LEO. Aut omnino nullum, aut per quàm tenue discrimen est. VRS. Et tamen extra controuersiam est, literas tota natura diuersas esse. LEO. Demiror. VRS. Et quid mouit Latinos, ut tanto aliter sonarent au & eu, quàm Græci? Quid enim simile παῦλος & Paulus, εὔιος & Euius. Et tamen opinor hic Latinorum pronuntiationem emendatiorem esse quàm Græcorum. Apud nos enim utraque uocalis auditur in audio & euge: à quo sono Græcorum aures intantum abhorrent, ut quum nostra sonare conantur, aüdio dicant tetrasyllabum pro trisyllabo, audio: & claüdus trisyllabum pro claudus dissyllabo: pro heu monasyllabo, hëu dissyllabum. Atqui si Græci rectè sonant αυ & ευ, seruandus erat idem sonus υ, in ὄντος & λόγου. At in his nihil audit quod ullo modo uergat ad sonum f, aut u, consonantis. Porrò quum sua efferunt, in diphthongo propemodum sonant f, aut u consonans, ueluti meditans adhærere sequenti uocali, ut ὀρφεὺς, βασιλεὺς, βασιλεύω, εὐαγγέλιον. Atqui diphthongus non conflatur ex uocali & consonante.

LEO.

LEO. Quo sono credis hæc ueteres extulisse? VR. Referam quod in senatu grammaticorum audiui. LEO. Sat erit. VRS. Coniecturam faciebāt ex linguis popularibus, in quibus utcūq; corruptis resident antiquæ pronuntiationis uestigia. οι diphthōgus Gallis quibusdam est familiarissima, quum dicunt, mihi, tibi, sibi: aut quum pronunciant, fidem, legem, ac regem. Hic enim audis euidenter utramq; uocalem o, & i. LEO. Sic est profecto. VRS. Ad eum propè modum sonuisse ueteres arbitror, μοι, σοι, οἱ, τοῖος, & κύριοι. Alioqui quorsum appellantur diphthōgi propriæ, nisi eadem syllaba geminæ uocalis sonum ædat? Atq; ob id producitur & diphthōgus omnis, ut utraq; possit audiri. LEO. Probabile narras. VRS. Iam αι diphthongum euidenter audire licet in lingua Germanorum, quum nominãt Cæsarem, quanquã hic Batavi propius accedunt ad sonum e, uel ãta quod pene faciunt, ut dictum est, perpetuo in a uocali. Neq; non sentitur apud nos diphthongus ει, si Hollandice dicas, ouū, paratus, uersutiæ, Maius, facinus, seductus, caro. Apud Gallos hæc rarius auditur. ου uero arbitror priscis ferè sonuisse, quod Batauus sonat, senex, frigidus, & aurum, aut eàm tunicæ partē quæ tegit brachium. Rursum Latinam diphthōgum æ audis, quum sonat malus, uadit, consilium, sapor. Oe uero quum sonat panem, nudum, & rubrum, callidum, & fragile aut necessitatem: aut si dicas Gallice, tribus uicibus, Britannice, nix, Quãquam in his linguis

depre-

deprehendas & alias diphthongos à Græcis pariter ac Latinis dissonantes, ueluti quum Gallus dicit, melius, parum, aut fastidiosum, aut periculosum. Item quum Batauus dicit, mendaciū, ceruical, aut ianuam, aut Iudæum, quum Galli, florem, aut honorem. Cui non dissimilem habent Hebræi. In nonnullis audias tres uocales, ut quū Galli dicūt formosum patrem, in formoso audis, e, a, & u, quum dictio sit monosyllaba. In alijs diphthongum inuersam, ut quum Batauus sonat arundinem, aut margaritam pro fœmina, audis enim i, ante e. Item quum Coloniensis dicit salutem, audis u ante e. Rursus quum Hollandice dicis, dulce, aut bonum, audis diphthongum nouam, nullis literis exprimendam, sed sonum quēdam medium inter o & u. Qum dicis, domū aut murem, audis i post u in eadem syllaba. Aut quū Gallus sonat famam aut fructum. Verū hæc persequi non est huius instituti, præsertim quum nationes quædam nihil omnino sonent absq; diphthongo. Ex his autem quæ retulimus satis est intelligi, & diphthongos posse sonari, & olim sonari solitas. LEO. Quæ res abiecit eas? VRS. Nihil aliud, opinor, quàm loquendi deliciæ. Nam mulierculæ quondā elegans habebant, semicluso ore, uixq; motis labijs sonare uerba, sic ut uix audirēt exitus. Diphthongi uero ferè torquent os, multumq; resonant, quod nūc habetur indecorum, & ut rusticanum ridetur: inde primum apparet exortas diphthongos improprie dictas: deinde

bruyt

paulatim idem in aliis nonnullis ausæ sunt illiteratorum deliciæ. LEO. Non leuis incommoditas si quid cui dictes scribendum, aut si quis ex alterius recitatione suum emendet codicẽ. VRS. Maxima. Quinam sciet is qui excipit, quũ audit uulgato more sonari οἶνος, an scribere debeat ἶνος, ὗνος, ὕνος ἧνος, aut εἶνος. LEO. Nequaq̃, nisi sit eruditus. VRS. At non semper nobis cum eruditis res est, & quædam uoces huiusmodi sunt, ut doctus etiam possit hæsitare, uelut in ὑμῶν & ἡμῶν: quod si ὑμῶν sones, per u Gallicum aut propemodũ, & ἡμῶν per a Scoticum, hoc est, per e diductius, sublatus est error. Habes de diphthongis. Iam longarum breuiumq́ue syllabarum discrimẽ, magna ex parte sublatum est, & in Græcorum & Latinorum pronuntiatione, quum olim plebes imperita explóserit atque exsibilarit histrionem, qui paululũ se mouisset extra numerum, aut si uersus pronũtiatus esset una syllaba breuiore aut lõgiore, q̃d à Cicerone literis proditum sciunt omnes, qui literas sciunt. Ex quo colligitur, & recitatorem seruasse spatia syllabarum, & illiteratam multitudinem, præsertim urbanam, auriũ sensu diiudicasse. Nunc quis offenditur uel apud Græcos uel apud Latinos, nisi si quid arguat accentus, quod in multis non potest: imò frequẽter accentus ducit in errorem, dum facit uideri longam quæ breuis est, & contrà. Qui uero docti nunc discernũt an dicas pláne impostori, an plâne, apto, an planè, affirmans, quum in prima dictione sit pyrrhi-

De quãtitate syllabarum.

rhichius,in secunda trocheus, in tertia spōdeus? Rursus an dicas malo pro uitioso, an malo pro potius habeo, an malo pro arbore, siue pomo, quum in prima uoce sit iambus, in secunda trocheus,in tertia spondeus. L. Non satis assequor, quæ fuerit illa ratio,saltandi ad uocem alienam. VRS. Audita referam, iudicij periculum penes alios esto. LEO. Θάῤῥει. non hic agitur apud prætorem. VRS. Scis quosdã dictos Mimos,inter quos celeberrimi fuere,Publius & Laberius. LEO. Scio. VRS. Hi simul & recitatoris & histrionis officio fungebantur, pronunciantes uersus sibi cognomines,hoc est mimi mimos,& ad propriam uocem gesticulantes.Erat aliud histrionum genus, qui muta gesticulatione repræsentabant poëtarum longas fabulas, sic ut spectator intelligeret argumentum saltationis.Quo de genere diligenter tradidit Lucianus.Rursus erat recitatorũ genus omnium honoratissimum,qui sua recitabãt populo sine gesticulatione corporis,nisi quantũ oratori conceditur, uocem, oculos, uultum,& corporis motum sentẽtijs accommodare, sic Virgilius, sic Oratius, sic Plinius sua recitabant populo, sic & Philemon suam ipsius fabulam populo recitasse legitur,quum nemo saltaret. LEO. Quatenus isthuc oratori conceditur? VRS. Si uino lapsantem ac balbutientem narres, indecorum fuerit eam rem corporis gestu referre, aut si mulieris, pueri, senis, Germani,Galli,Britanni uerba referas, ridiculum fuerit ipsa pronun-

tiatione mulierem,puerum,ſenem,Germanum, Gallum,aut Britannum exprimere? LEO. Iucundum quidem eſſet. VRS. At non protinus bono uiro decorum eſt,quod delectat.Plato & Fabius concedunt, ut modice uox loquentis ad ea quæ narrantur accommodetur:ueluti ſi recites ex hiſtoria,lugentem,minitantem,blandientem,laſciuientem, ſatis eſt aliquam rei ſimilitudinem apparere in oratione. At fit interdum,ut aliquid loco additum ex uocis aut geſtus alieni faceta imitatione gratiam habeat. Poſtremum genus eſt, quum unus recitat fabulam,& ad huius uocem hiſtriones perſonati,geſtus attemperant. Huius generis erat Roſcius, quem accepimus cum M. Tullio decertaſſe, utrum ille ſæpius uerbis alijs eandem efferret ſententiam,an ipſe ſæpius uariatis geſtibus repræſentaret. LEO. Vnde colligis hoc fuiſſe genus hiſtrionum? VRS. Primum ex ipſis Terentianis fabulis, in quarum calce recitator dicit, ualete & plaudite, Calliopius recenſui. Si ſingulæ perſonæ ſuas uoces promunt,quis eſt locus Calliopio? LEO. Dicis nonnihil. VRS. Accipe grauius argumentum, Ex Hecyræ prologo liquet,eum qui præfatur, ſolere fabulas emere, eaſq́ recitaturum ediſcere. Alioqui ſi ſinguli ſuã portionem ſonabant, quur unus hæc præfatur? Rurſus qui prefatur in ἑαυτὸν τιμωρούμενον,queritur nõ haberi rationem ſuæ ſenectutis,ad quem deferrentur fabulæ turbulentæ.Nam nunc, inquit, nouas qui ſcribũt, nihil parcunt ſeni.Si qua laboriosa

riosa est, ad me curritur. Silenis est, ad alium defertur gregem. Quod si quis cõtendit hæc ab eo dici, qui suo periculo fabulam emere ac proferre, quiq; præcipuas fabulæ partes agere soleret, nõ inficior & illud fabularum fuisse genus, quo singuli personati sua uerba sonabãt apposite gesticulãtes. Quod accepi refero. Nunc ad id quod intermissum est redeo. Quum audis, legi, qui scis an prior longa sit, an breuis? Rursus quum audis θεοφίλῳ, nõne Latinus credat penultimam productam, nimirum accentu Latino deceptus? LEO. Prorsus. VRS. Accentus igitur incertus est index spatij syllabici, præsertim in Latinis polysyllabis. LEO. Est igitur alia ratio dignoscendi? VRS. Erat olim sine controuersia, nunc ea prope in totum obsoleuit. LEO. Quod aliquando fuit, potest instaurari. VRS. Sunt quidam adeò crassi, ut nõ distinguant accentum à quantitate, quum sit longe diuersa ratio. Aliud est enim acutũ, aliud diu tinnire: sicut aliud intẽdi, aliud extẽdi: q̃q̃ nihil uetat eandẽ syllabã & acutũ habere tonum, & productum tempus, uelut in uidi, & legi, præteritis. At eruditos noui, qui quum pronuntiarent illud ἀνέχου καὶ ἀπέχου, mediam syllabam, quoniam tonum habet acutum, quantum possent producerent, quũ sit natura breuis, uel breuissima potius. Et ferè qui Græca legunt, accentus obseruatione confundunt spatium moræ, sic enuntiantes φιλόλαος, quasi penultima sit breuis, & φιλόδημος, quasi duæ postremæ sint breues, quemadmodũ in

in θεόδωρος, παράκλητος, εἴδωλα, alijsq; innumeris. Nec ita multis contingit ſonare Græca, ut accentuum ſimul & morarũ rationẽ obſeruent, uel in carmine. Loquor autẽ non iam de uulgo, ſed de eruditiſſimis quoq;. Minus eſt erroris in Latinis, ſed tamẽ illic quoq; tonus acutus ac inflexus obſcurat cæterarũ ſonum, ut in uidébimus, congruit accentus cum quantitate, at in legebâmus, ſola penultima uidetur eſſe producta, quum ſecũda ſit æque lõga: in amaucrimus ſola antepenultima, quum ea ſit breuis, ſecũda producta. LEO. Omnino ſic obtinuit uſus, quem dediſcere difficillimum eſt. VRS. Atqui qui deguſtarunt muſicam, nullo negotio diſtinguunt inter longã, breuem, & inter acutam & grauẽ. Nihil enim eſt aliud pronuntiatio, q̃ modulatio quædam uocum numeroſa. Eſt enim & in oratione ſoluta pedum ratio, licet non perinde certis aſtricta legibus ut in carmine: quæ ſi confundatur, non magis erit oratio quàm cantio cantio, in qua graues cũ acutis, longæ cum breuibus temere confunduntur. Vnde quidã priſcorũ grãmaticorum non inſcite dixerunt, accentum eſſe animam dictionis. Et tamen hodie talis eſt etiam eruditorum pronuntiatio, qualis eſſet illa ridicula cãtio. Scis opinor canere cithara. L. Vtcunq;. V. Nonne frequenter imam chordam pulſans producis ſonos, & ſummam tangens breuibus inſonas? LEO. Frequenter, quanquã hoc diſcrimẽ euidentius eſt in flatili muſica. VRS. Vnde igitur nos ſumus uſq; adeò

ἄμουσοι, ut omnes acutas ſyllabas ſonemus pro-
ductiore mora, graues omnes corripiamus? Vel
ab aſinis licebat hoc diſcrimen diſcere, qui rudẽ-
tes corripiunt acutam uocem, imam producũt.
LEO. Idem propemodum facit cuculus. VRS.
Quatuor enim rationibus curatũ eſt à priſcis, ut
omnes ſyllabæ, quantum licet, clarius audiãtur,
ne qua ſuffugiat aures, aſpiratione, tono, produ-
ctione & diphthongo. Clarius enim auditur pri-
ma in hero, q̃ in ero. Et magis auditur li in lígo,
quàm intélligo. Et ſonantior eſt prior in μῶμος q̃
in μόνος. Itidem in amāuérimus, ſonãtior eſſe de-
beret ma ſecũda, quàm a, prima, ut in ama ſit iã-
bus, uerimus tribrachus, niſi quod prima trium
acuitur, & ob hoc ſonantior, quaſi muſicus ꝑ bre
uem longã & tres breues ſonet, re re fa re re, ámã
uérimūs. In hac dictione ſonantiores ſunt ſecun-
da, quia producta, & proxima tono acuto, licet
breuis. Quoniam autem uocales principes ſunt
ſonoꝝ, diphthongum audibiliorem faciunt duæ
res, gemina uocalis, & productio moræ. Sonan-
tior enim eſt prima in audio, quàm in adeo & u-
dus, in οἶνος quàm in ὄνος & ἴδω. Horum ſi nihil ob
ſeruatur, quid eſt oratio, niſi incõpoſitus uocum
ſtrepitus? Iam intenſio uocis & productio perci-
pi non poteſt, niſi ex aliaꝝ comparatione. Poteſt
enim eadẽ eſſe breuis & longa, grauis & acuta,
ſi ad alias atq; alias comparetur, ueluti uox pu-
eri grauis, acutior eſt uoce uiri acuta, & ſyl-
laba breuis ſic pronuntiantis, ut Cartuſiani pro-

nuntiant psalmos festis diebus, productior est lõga, uolubili lingua pronuntiãtis, quemadmodũ sacrifici quidam expediũt preces solennes, dum ad alia quæ sunt cordi festinant. LEO. Intelligo. VRS. Quin & idem inter dicendum nunc lentius pronuntiat, nunc celerius, nunc demissius, nunc clarius, utcunq; sermonis ratio postularit. Nam & oratores in exordijs, in quibus oportet sedatã esse dictionem, longiore mora pronuntiant syllabas, q̃ in affectibus ubi iam incaluit oratio. Atq; adeo in hac oratiõe, Primum optimam spem de se præbebat, sobrius, quietus, placidus erga socios, obseruans & officiosus erga maiores, mox in diuersum uersus, cœpit amare, potare, rapere, prodigere turpiter omnia: prior pars lẽtius sonatur quàm posterior. LEO. Fit idẽ à musicis. VRS. E proximis igitur petenda est & tonorum & morarum differentia. LEO. Quæ proportio est breuis ad longam? VRS. Dupla, ut aiunt grammatici, uerum in dicendo non est necesse tam exacte rationem obseruare, ueluti fit in concentu musico, aut ueluti si quis saltet ad citharam. Sat est si longa, sensibili mora distinguatur à breui. Nam fieri potest ut una longa respondeat duabus breuibus, aut amplius: rursus ut respondeat uni breui & dimidio. Iam sunt dictiones duriores, quæ plus spatij postulant q̃ aliæ, præsertim monosyllabæ. Diutius enim sonat, stant tristes, quàm stãt acies, non solum ob consonantes in eandem syllabam coëuntes, uerum etiam ob sequẽtem syllabã

labam, quæ excipit, difficiliorem. Item plus moræ desiderat prima in ſtructus, q̃ prima in legero. LEO. Liberaſti me magno ſcrupulo. VR. Imò qui exactius ſuper hiſce rebus conſcripſere, docēt in quibus ſyllabis ſufficiat unicum tempus, in quibus unum ſemis, in quibus duo ſemis, in q̃bus tria. LEO. Audio nouam muſicā. VRS. Haud tamen abſurdum eſt, quod adferunt. Si uocalis, inquiunt, natura breuis eſt, & ſequitur unica cõſonās, eaq́ſ ſimplex, unicum tempus obtinebit, ut caput, λόγος. Rurſus ubi uocalem natura breuem, muta cum liquida ſequens, aut alioqui geminata, reddit ancipitem, tempus erit unum ſemis, ut lachryma, recludo, cygnus, Atlas, τέκνον, τέκμαρσα, ἀναμνήσκω. quod à quibuſdam obſeruatur etiā in diuerſis dictiōibus, ut Tribulaq́ſ trabeæq́ſ. Item, Terrasq́ſ tractusq́ſ maris. Sed potiſſimum, ſi tres ſint conſonantes, aut prior ſit ſ, habeat'ue incluſam, ut præmia ſcribe, a produci poterat, nec aliter produci uolunt quidam, quàm eliſiōe ſ, & litora Xerxes, quia ſequitur duplex. Iam quæ natura uel poſitu longæ ſunt, hãs duo ſunt tempora, ut dos, mors. Rurſum, ſi uocali natura longæ adhæreat unica conſonans in eadem ſyllaba, in his tribuũt moræ tempora duo ſemis, hoc eſt, duo breuia, & ſemibreue, ut ſol. Porrò tria tempora uolunt eſſe, quum uocalem natura longā duæ conſonantes ſequuntur, aut una duplex, ut mōs, rex. Huiuſmodi multa referebant ex autore Priſciano, cuius autoritas ſi cui parũ grauis eſt, ha-

bet ſimile quiddam Quintilianus libro nono, tra ctans de cōpoſitione. Teſtatur enim non omnes breues ac productas eſſe pares, ſed eſſe breues, breuiores, ac breuiſſimas: contrà longas, longiores, ac longiſſimas exempli gratia producit uerſiculum Maronis ex Tityro, Agreſtem tenui muſam meditaris auena. Quanq̃ hic noſtri codices habent Syluestrē pro Agreſtē, uerum id nihil ad rem: in Agreſtem, duæ primæ ſyllabę natura breues ſunt, & tamen gre, ſecunda, facit priorē longam. Dat igitur, inquit, aliquid ex ſuo tempore. Quomodo? ni habet plus q̃ quæ breuiſſima, qualis ipſa eſſet detractis conſonantibus, nunc unū tempus accommodat priori, & unum accipit à ſequenti, ita duæ natura breues, poſitione ſunt tēporum quatuor. Concurſus igitur mutæ & liquidæ in gre, tardiorem redderet ſyllabæ pronunciationem, etiā ſi nulla conſonans ſequeretur: nunc quia ſequitur ſt, duplicatur tarditas, uel triplicat potius, cuius portionem trāsfert in primam natura breuem. tametſi Priſcianus nō tribueret primæ duo tēpora, ſed tempus unum ſemis, nec ſecundæ tribueret amplius, niſi ob uocalē utrinq; cinctam gemina conſonante. Verum hæc minutiora ſunt, potuiſſet enim omnibus breuibus geminū tempus aſſignari, ſi ita placuiſſet ſenatui populoq; Grammatico, ita nihil opus fuiſſet tēporis unius ſectione. Aliquanto poſt Fabius nō inficiatus, à ſcriptoribus traditū, finalē breuem pro longa accipi, aures tamen, inquit, conſulens

meas intelligo multum referre, utrum'ne longa ſit quæ cludit, an pro longa. Neq; enim tam plenum eſt, dicere incipientem timere, quàm illud, auſus eſt confiteri. Atqui ſi nihil refert, breuis an longa ſit ultima, idem pes erit. Verũ neſcio quomodo ſedebit hoc, illud ſubſiſtet. Quo moti quidam, longæ ultimæ tria tempora dederunt, ut illud tempus quod breuis ex longa accipit, huic quoq; accederet. Nec ſolũ, inquit, refert quis cludat, ſed quis antecedat. Vides Quintilianũ ſenſiſſe diſcrimen inter longã & longiorẽ, breuẽ & breuiorem etiam in finali commatis clauſula, quãto magis id ſenſurus in curſu perpetuo uocũ, aut in media dictione. Quod ſi ueterũ literæ nullũ indicaſſent diſcrimẽ, tamen ipſe naturalis auriũ ſenſus non ſineret aliter iudicare. Quis enim non omnino ſtupidis auribus non intelligat, κυ minus habere difficultatis in κύων q̃ in κύκλωψ, quũ utraq; ſit breuis: rurſus tardiorem eſſe ſonum in κλωψ quàm in ων, quum utraq; ſit natura longa, ſed illi moram addunt, quibus cingitur, conſonantes à fronte duæ, à tergo duplex: huic additum ν, non difficultatem addit, ſed iucunditatem. Præterea quis non ſentit ων facilioris eſſe ſoni, quum dico, κύων ἐρᾷ, q̃ quũ dico κύων βρέχει. Item tardius ſonare κλωψ, quũ dico κύκλωψ στρατηγεῖ, quàm quũ κύκλωψ ὁρᾷ. In κύων ἐρᾷ ſex ſunt tempora, in κύων βρέχει ſex ſemis. In κύκλωψ ὁρᾷ, ſeptem tempora, in κύκλωψ στρατηγεῖ, nouem ſemis, ut κλωψ ſyllabæ, dimidium temporis accedat ob moram, quam adfert

con-

consonantiū collisio. LEO. Haud procliue sit ista discernere. VRS. Nihil facilius. Atque adeò miror hoc homini musico uideri, qui noris quomodo uox, quam hodie maximam uocant, diuidant in longam. Rursus quomodo longas in breues, breues in semibreues, semibreues in minimas, & has insuper secant in plusquàm minimas. tum non ignores quomodo proportionibus, quas illi modos hodie uocant, uarie producant aut accelerēt pronuntiationem. Quanquàm hac subtilitate nihil est opus. Res fuerit euidens, si, iuxta musicos, breuem seces in semibreuē, ita in caput, erit breuis: in lachryma, breuis cum semibreui: in da & fle, duæ breues: in sol, duæ breues & semibreuis: in stirps & rex, tres breues. LEO. Intelligo. Verū hanc exquisitam uarietatem negāt obseruari in carmine pronuntiando, sed in oratione prosa nihil uetat. At ego multo minus arbitror obseruari posse in multorum concentu, præsertim imperitorum, Hinc enim, ni fallor, natum est, quod chorus Ecclesiasticus, nec in Psalmis recitandis, nec in Canticis solēnibus, ullum habet breuium aut longarum delectum, ne tonorum quidē admodum magnam rationem, sed omnes pari tēporis mora sonant, ne dum alius aliud sonat, inæqualitas uocum pariat indecoram confusionē. Et in cantu, si quando uocibus imparibus utuntur, inæqualitatem eam non ex natura syllabarū, sed ex suo arbitratu metiuntur. Quanquàm hoc genus cantionis non recipiūt, qui religionis sunt auste-

austerioris, sed spondeis pronuntiāt omnia. Non dubito tamē, quin Ambrosius suos hymnos obseruatis syllabarum modulis canendos instituerit, eamq; consuetudinē arbitror ualuisse, donec crassior literarum inscitia, & inconditus uocum tumultus compulit ad hanc inæqualem æqualitatem confugere. Quin audiui concionatores ex hoc genere, qui quo pluris habeantur à populo, nouum aliquid ac prodigiosum comminiscunt, eodem tono, pari mora pronuntiantes syllabas omnes, paribus etiam interuallis, quasi singulæ syllabæ singulas absoluerent dictiones, magna quidem admiratione plebis imperitæ, sed æque magno tum risu, tum tædio doctorum hominū. Hoc enim uere est, quod ait Cicero, latrare, non loqui. Verum ut ad institutū nostra recurrat oratio: quemadmodum in productione syllabarum plurimum habet momenti facilitas aut difficultas literarum unde conflantur, ita neq; quicquā uetat, quo minus in eodem sermone, nunc citatior, nunc lentior sit pronuntiatio, modo in cursu uerborum, quam Græci συνέπειαν appellant, inter uicinas proportio discernat moras temporum, ita in modulandis tonis non est eadem ac perpetua ratio, ut omnes acutas sones ijsdem chordis, seu graues, aut circunflexas: licet enim pro sensuum & affectuū uarietate, nunc intensiore, nunc depressiore linguæ sono uti: ex proxime præcedentibus ac proxime sequētibus distinguere uocis modulatiōem sat erit. Non enim semper pari

spatio

ſam muſicorum ſubtilitates, qui diſtinguunt tonum ac ſemitonium, diuidũt per apotomas, dieſes, commata, ſchiſmata, & diaſchiſmata. Nobis ad hanc rem ſufficit diſcrimen toni, ſemitonij, ſi uis & ditoni. Sit igitur hoc diſcrimen inter acutũ & inflexũ, quod inter tonũ & ſemitonium, aut ſi hoc uidetur obſcurius, quod inter tonum & ditonũ. Et hoc diſcrimẽ Latini prorſus negligunt, quũ quod quoties penultimam natura longam excipit ultima breuis, in priore loco ſit circunflexus accentus; non acutus. Vidi, primam habet acutã uidit: primã habet circũflexã, illud perinde ſonat, quaſi dicas fa re, (nam docẽdi gratia, craſſius eſt loquendũ) hoc quaſi dicas fa mi, aut ſi ſyllabam, cui tonus additur, conferas cũ præcedente, acutus perinde ſonabit, quaſi dicas re mi, perfecto tono: circunflexus quaſi dicas mi fa, quia ſemitoniũ eſt. Quod ſi cuius aures ſunt ebetiores, quàm ut hanc ſentiãt differentiã, ſit acutus fa ut, aut ut fa, circunflexus fa re, aut re fa, prout ſyllabam intendendam cum præcedenti aut ſequenti conferes. Hæc quum diſcreuerint ueteres & uſu & præceptis, an non piaculũ eſt nos hoc diſcrimẽ in totũ negligere? Quis enim nũc diſcernit pronuntiãs inter has, crêta, mûſa, Rôma, mêta, uêna, nominãdi uocãdi'ue caſu, & créta, múſa, Róma, méta, uéna, auferendi caſu? L. Certe nemo. VRS. Rurſus inter lûctus recto caſu, & lúctus paterno caſu? Atqui in prioribus eſt trocheus, & prior ſyllaba tonum habet circũflexum, ob ultimam breuem,
in

in altera prior habet acutum, propter sequētem productam. LEO. Audiui ueteribus ultimā semper habitam pro ancipiti. VRS. Verum ultimam carminis, nō cuiuslibet dictionis, & quod ueniæ datur in carmine, fortasse dabitur & in colis, aut periodis, tametsi ne illic quidem, nisi ut pro breui sones longam, non contrà. In synepia uero nequaq̄ idem licuerit. Et quanq̄ euidentius breuis ac longæ discrimen est, uocalem excipiente consonāte, ut frūctus & frúctus, ut post docebimus: tamen apud ueteres finalis uocalis nulla sequēte consonante, manifesto discrimine signabatur. Id esse uerum liquet ex Diomede grammatico, qui docet o in fine uerborum solere produci, Græcorum exemplo, qui ut λέγω dicunt & τύπτω, ita illi dico & cedo: Post, inquit, usus in tantū obtinuit, uocalem hanc haberi pro ancipiti, ut ridiculus esset qui non corriperet. At unde deprehēdebat hoc irrisor ille, si tum pronuntiabant ut nos pronuntiamus hodie? Nimirum ex accentu, & mora temporis, præsertim in cursu. Qui producebat, dicebat dico tibi. Iā duæ dictiones habebant sex tempora, & syllaba prior in utraq; tantum habebat acutum: qui corripiebat, ita sonabat, dîco tibi, & eædem dictiones non habebant nisi quinq; tempora. Itidem si dicas, amo pecuniā, facile dignoscent aures an sones iambos duos & pyrrichium, an tribrachum & dactylum. LEO. Monitus sentio. VRS. Nunc aliā accipe fabulam, quæ rem eandem doceat, Quintilianus libro duodecimo

cimo narrat rusticum quendam testem interrogatum an nosset Amphionem, negasse. At cuius intererat illum nosse hominem, quum esset minime stultus, suspectus est id quod erat, rusticũ hominem quidem nosse, sed non agnoscere uocem parum rustice pronũtiatam. Itaq; ueluti de altero percontans, rogauit an nosset Ampĭonẽ, uidelicet aspiratione sublata, & secunda syllaba breuiata: protinus agnouit Ampĭonem, qui Amphionem non nouerat. Hic accentus quoniã anteit penultimam, non indicat discrimen quantitatis syllabicæ, quum enim penultima sit breuis, in antecedenti tonus sit oportet, siue corripiatur illa, siue porrigatur. Vnde igitur rusticus ille discernebat à longa breuem? Nec enim refert ad dĩgnoscendi facultatẽ, quod apud rusticos uitiose corripiebatur. Sic esse pronuntiãdum existimabat, hoc mihi satis est, quod auriũ iudicio secreuit breuem à lõga. Vnde inquam? Non accentu, ut modo dicebam, sed mora temporis. Quum enim urbane pronuntiaret Amphionem, Ionicus erat ἀπὸ μείζονος, hoc est, spõdeus cum pyrrhichio: quum Ampĭonem more rusticorum, trocheus erat cum pyrrichio. Num hæc tibi uidentur satis aperta? LEO. Non habeo quod contradicã. VRS. Accipe quod his omnibus euidentius est. Tot autores apud Græcos scriptores de numeris orationis conscripserunt, inter quos sunt Aristoteles ac Theophrastus, si rhetores contẽnimus: tot apud Latinos, pręsertim M. Tullius & Quintilianus. At

oratio numeroſa, quibus rebus conſtat? LEO. Pedibus opinor. VRS. Recte, nam iiſdem pedibus conſtat oratio ſoluta, quibus carmen, niſi quod non æque certis legibus inter ſe iungũtur. At pedes unde conſtant? LEO. Ex breuiũ ac longarũ ſyllabarũ inter ſe connexione. VRS. Rurſus quare diſcrepat à breui longa? LEO. Porrectiore mora pronuntiandi. VRS. Si tum cõfundebatur longarum ac breuium diſcrimen, quemadmodum hodie facim9, quorſum attinebat celebres & graues uiros tot uoluminibus præcipere de numeroſa dictione? Ac Romæ quidem, quoniam Democratia propter ſenatus autoritatẽ tẽperata erat Ariſtocratia: multa apud populum, nõnulla etiã in ſenatu agebantur. Athenis autẽ quod eſſet Democratia pura, omnia agebantur apud populũ. Quod ſi plebes imperita non diſcernebat longas à breuibus, quorſum opus erat Demoſthenẽ, olei ſimul & ſomni iactura hac ſolicitudine diſcruciari? Sin indocta multitudo bene modulatis delectabatur, rurſus male compoſitis offendebatur, qua fronte nos nobis loqui uidemur, qui præter accentus nullum in ſyllabis diſcrimen facimus, atque hic ipſe accentus frequenter in cauſa eſt, ut pro breui ſonemus longam. Fruſtra tam operoſe præcipitur, qui pedes congruant initiis & clauſulis inciſorum, membrorum, & periodorum, ſi noſtri arbitrii eſt pro breuibus longas, pro longis ſonare breues. Quur in mediis uitabant immodicam ſyllabarum celeritatem, quæ ſic offendebat au-

tes,ut puerilium crepitaculorum strepitus,unde Aristoteles eiusmodi compositionem chordacē appellat,si ubicunq; tonus est,licet sonare productam?ut mulier,faciat dactylum non tribrachū, & temeritas,faciat dijambū, non præonē quartum,qui constat pyrrhichio & iambo. Animula misera perijt,si pronunties ut oportet, offenduntur aures eruditæ concursu breuium, quasi tu τὸν χόρδακα saltandi canas,aut τὴν βετανολό. At nos hic sonamus dijambum in animula, duos dactylos in misera perijt. Quur quibusdam uisum est durius,quod M. Tullius in clausula posuerit,balneatori & archipiratæ?Demosthenes,πᾶσι καὶ πάσαις, qui finis est iambici Scazontis, constans ex Trochæo & Molosso?si nobis licet,balneatori,tribracho & spondeo, archipiratæ dactylo & spōdeo sonare.Rursus quur laudatur hæc eiusdem compositio,ijsdē in armis fui,quod in armis fui,spondeus iambo prępōitur, aut quod ijsdem in armis fui,sint duo cretici,si nobis licet,ut ferè facimus, sonare dactylum,& dichoreum,in iisdèm ìn, & ārmìs,fūì? Siquidem tono decepti, priorē in fui, producimus.Aut qua ratione probatur illa Ciceronis clausula,criminis causa,quia spondeū præcedit creticus, si nobis permittimus creticū uertere in dactylum,quod improbatur ab artis scriptoribus? Idē dicere possum de clausula Ciceronis,uerùm etiā nota, in qua spondeus succedit anapæsto, si nobis liberū est pro anapæsto sonare dactylum, ut ferè nunc uulgo sonant etiam docti.

Quur illa Ciceronis clausula doctis olim uisa est felix, patris dictum sapiens, temeritas filij cõprobauit, quod ultima dictio dichoreum absoluat, si tum liberum erat pro dichoreo sonare pæonem tertium, hoc est pyrrhichium ac trocheum. Sed exemplorum plus satis. Vides quantam syluam adferre queam, sed hæc declarandæ rei abunde, ni fallor, sufficiunt. LEO. Mihi sanè super sunt etiam. Cæterum nunc aures ista non dijudicãt. VRS. Quid causæ, nisi quod aures habemus asininas? quibus non placet lusciniæ cantio modulatissima. Et tamen istæ aures in musarum donis plusquàm asininæ, in saltationibus ineptis, in ebrijs cantionibus sentiunt longæ, breuis, acutę, demissæ, mediæq́ uocis discrimen. LEO. Sic est: ubi intenderis animum, ibi ualet. Si hæc sunt uera quæ narras, ut sunt profecto uerissima, nullus hoc tempore sonat Latine. VRS. Adde ne Græce quidẽ, utcunq nobis placemus. LEO. Multi quærunt in uocibus Græcis, quas usurpatione, sui iuris fecerunt Latini, quæ ratio accentuum sit obseruãda. VRS. Istuc expedire perfacile est. Si uox deflexa est ad normam Latinæ declinationis, seruetur accẽtus Latini regula. Id præterq̃ quod iustius est, etiam còmmodius est. LEO. Quam ob rẽ? VRS. Quia apud Latinos perpetua ratio est, Græci uariant, eo quod Latini ferè spectant penultimã in polysyllabis: in dissyllabis tonus propè semper est in priore, nec aliunde aliò migrat, quemadmodum apud Græcos. LEO. Exemplo

rem

rem feceris dilucidiorem. VRS. Quidam malunt dicere grammatice, grammatices, grãmaticẽn Grȩco more, quàm Latino. Atqui Latine si dicas, tonus semper erit in ea quæ tertia est ab ultima, alioqui grammatica, penultimam habebit acutam: grammaticês paternus casus, & grammaticê datiuus circunflexum: rursus ô grammaticá acutum, quanquàm in septimo casu cogeris esse Latinus. Itẽ qui Timótheus dicit Latine, semper acuit antepenultimam, & hactenus conuenit cũ Græcis quoties ultima corripitur. Cȩterum, quoties ultima fit longa, tonus migrat iuxta Græcos in penultimã, ut Timothéi, Timothéo: in Timotheum remigrat in locum suum. LEO. Expeditius itaq; dicemus sóphia prima acuta, & philosóphia antepenultima acuta? VRS. Sic opinor. Nã quod Christiani quidam tantum tribuerunt accentui Græco, ut in metro quoq; syllabam natura longam corripuerint, uélut in idola, & paracli tus ecclesía, & si quæ sunt aliæ, condonandũ arbitror pietati potius, quàm imitandum. LEO. Explana, quȩso, crassius, quo sono discernatur natura longa uocalis à breui. VRS. Id ne putes rẽ nouam, dilucide patet in linguis uulgaribus, quæ & sono & scriptura discernunt longam à breui, longam aut geminata uocali scribentes, aut addita uocali uertentes in diphthongum. Dic Batauice album, sentis unicum i: dic latum, sentis geminũ, quum tamẽ dictio sit monosyllaba. Audis apud machinas, quibus onera tollunt è nauibus wit wyt

win
wyn
vles
vlees
best
beest
lest
leest
vel
veel
put
uut
bret
breet
vet
veet
rat
raet
gat
gaet
bat
baet

quoties iubent uolui rotam, simplex i: quoties ui num postulant, geminũ. Rursum dic Batauice la genam, audis unicũ e: dic Flandrice carnem, audis geminum. Idem discrimen in optimo, & bestia: ultimo & forma calcearia. Dic Batauice pellem, audis unicum e, dic multum Brabantice, au dis duo. Item Batauice puteum, audis u simplex, dic extra, audis geminum, nisi mauis hic esse peculiarem diphthongum. Item dic Anglice panẽ, audis e breue, dic Batauice latum, audis ee geminum. Dic obesum Batauice, audis e breue, dic simultatem, audis porrectum. Dic Batauice rotã, audis a breue. Dic consilium, audis diphthongũ æ. Idem fit in foramine, & uadite: in balneo, & lucro. LEO. Iam mihi succurrũt istius generis exẽpla innumera. VRS. Quo magis mirum est nos hæc omnia confundere seu Græce, seu Latine loquentes. θὴρ natura longum excepta prima litera, quid aliud sonat hodie q̃ apud Latinos uir: qđ natura breue est. Item πῦρ, nos sequti Græcos, male pronuntiamus, quum Germani uocem eam à Græcis sumptam recte sonent, nisi quod tenuem uertunt in aspiratam, Bataui in u consonans. πᾶς nos male sonamus, Galli recte, quum humile dicũt aut passum. LEO. Sic est profecto. VRS. Iam in θὴρ, quod ipsum ad nos fluxit à Græcis, Batauica lingua dum sonat dier, θ mutato in Ꝺ, declarat quid sonuerit apud Græcos θὴρ. Ad hæc quid aliud sonat mus in animante longum, q̃ in dictione mimus breue? L. Nihil prorsus. VR. Atq discrimen

men docet Batauus ſonans animantis uocabulum, in quo audis geminū u: ſi ſones ſimplex, nullus quid uelis intelliget Latine neſciēs. Tantum eſt diſcriminis in mora ſyllabæ, quod nos, perinde ac ſi nullius ſit momēti, planè negligimus. Nihil enim aliud ſonat nobis hodie las in puellas, q̄ in Pallas: es in res, q̄ in uerbo es: lis in facilis, q̄ in lis, unde litis: or in ἵκτωρ, q̄ in uincor: lus in nullus, q̄ in palus & ſalus. Atq; item de cæteris, nec ullo modo dubitādum, quin ueteres diſtinxerint manifeſto uocis diſcrimine. Ne quis autē exiſtimet hoc uſq; adeò barbaricū eſſe de quo loquimur, præter alios Grammaticos & Quintilianus ipſe prodidit, Latinos uſq; ad Actij poetæ tēpora & ultra, uocalem productam, per eandem geminatam notare ſolitos, ueluti ſi ſcribas, uaanus pro uan⁹, turbaas pro turbas, rees pro res, liјs pro lis, doos pro dos, ſaluus gemina uocali pro ſalus. Si nullum erat diſcrimen, unde priſcis tanta huius rei cura? Nunc uero quid intereſt inter priorē ſyllabam in màla adiectiuo, & mâla ſubſtantiuo, quod illis erat maala? Inter finalē is, huius uerbi legis, & finalem audis, quod illi ſcribebāt audiјs? Inter legi à legor, & legi à lego, quod illis erat leegi? Inter uiuis uerbū & uiuis nomen, quod illi uiuiјs? inter δὼς Græcū uerbū, & dos dotis, quod illi doos? Inter ultimā, manus genitiui, & ultimam, uulnus? LEO. Deū immortalem, quantum à recta pronuntiatione degenerauimus. VRS. In Grecis propè grauius etiam aberratum eſt. Quis

enim distinguit inter τύπτομαι indicatiuum, & τύπτωμαι subiunctiuum? Aut quis inter ας in αἰνείας, & as in λαμπὰς: inter καλὸς nomen, & καλῶς aduerbium: inter κύριος & κυρίως, si tonum tollas, quum ipsum ω ex duobus o pusillis conflatum admonere nos debuerit & productionis & soni? Quod si nihil aliud sonabat o q̃ ω, quid sibi uult quod grãmatici tantopere prædicabant ω, grandius quiddam resonans é specu oris? Quid autem facilius, quàm eandem uocalẽ duplicatam, non ictu uocis, sed productione sonare? Id facillime percipiet, qui primũ pro una sonarit duas, quemadmodùm solent nõdum absoluti musici, quo certius canant ad ictum manus, longã diducunt in duas breues: rursus eadem mora, perpetuo sono pronuntiant eandem longam, animo tantum imaginantes geminum uocis ictum. Simili ratione complures breues, aut etiam longas continuo sono pronuntiant, nec errant in moris, animo supputantes interualla, non uoce. Sic apud Latinos, ex tibijcen factum est tibicen. Igitur ut recte sones legi à lego, primum fac uocem trisyllabam, & dic léegi prima acuta, deinde pari mora, sed uoce continua légi, ut hæc uox quatuor temporibus extendatur, quum légi à legor constet tribus. Vt recte sones lege à lex, dic léege, mox inflexa priore, lêge, ut dictio constet tribus temporibus, quum lege uerbum constet duobus. Item dic lúctus trisyllabũs, mox luctũs extento u. Dic máala, mox mâla, quum arboris fructũ indicas.

LEO.

LEO. Tu quidem crassissime doces. VRS. Nimirum crassis tradenda. Itidem, qui uolet assuescere pronuntiandis diphthongis, primum diuidat, deinde contrahat in eandem uocem: primum sonet musae, deinde musæ: primum foenum, mox fœnum: primum audio tetrasyllabum, mox audio trisyllabum: primum euge trisyllabum, mox euge dissyllabum, sic ut utranque uocalem liceat agnoscere, quamuis sono confuso. Idem in diphthongis Græcis, ut πάϊς παῖς, δημοσθένεϊ δημοσθένει, ὄϊνος οἶνος, μόϋσα, per u Gallicum μοῦσα. Similis in Græcis productis est exercitatio. Primum dic ἀινέϊαας mox conflato sono in longam ἀινέιας. Item η, diduc in duo ee ore diductiore, aut in duo a Scotica, & dic γραμματικέες, mox perpetua uoce grammatικῆς, memor prioris soni, ut κῆς id sonet quod apud Gallos sonat sed, apud Zelandos caseus. Similiter μυὺς per u Gallicum, deinde μῦς. Item καλοὸς, mox καλῶς. LEO. Video facillime discerni uocalem longam à breui, si consonans finiat syllabā, ut in audis, legis: at nō perinde facile, quoties uocalis claudit syllabam. Quum enim dico is ab eo, sic enūtio, quemadmodum Batauí glaciem: quū lis unde litis, sic effero quemadmodum Gallus sonat lilia. At minus est euidens discrimen in colo uerbo, & colo nomine: in mâla substantiuo & mála adiectiuo: in pútet à puto, & pûtet à puteo uerbo. Accentus enim obscurum habet discrimen, nisi mora prolationis accesserit, nec ea facile sentitur, nisi in contextu, quam, ut dixi, Græci uocāt

ijs

lijs

συνίπτων, ueluti si dicas, da bóna mâla, ex duabus breuibus præcedētibus & una sequente, sentitur a, productum in mâla. Item ex bo acuto, sentitur ma circunflexum. Hinc iocus ille Plautinus, quū Sosia heræ minãti magnum malum, mutato accentu respondet prægnãti potius esse dandum mâlum, ut quod obrodat sit, animo si male esse occœperit. Verum in his rebus emendatior est Germanorum lingua, q̄ Gallorum, qui finales syllabas omnes ferè producunt, nisi si qui uulgatam pronunciationem dedidicerūt, atq; item cæteras plerasq; : ita sonant caput, quasi geminum haberet u, & audit, dicit, similiter, maxime uero quū dictio desinit in s. Itaq; recte pronuntiant salus, uirtus & fructus gignēdi casu, q̄ nos cōfundimus: at nō recte eodē sono pronūtiant, dn̄s & seruus: mus & Iesus recte sonãt, at nō recte minus & Iesus. Recte sonãt audis, uenis, nescis, at non recte audit, uenit, nescit, aut nō recte, scribis, legis, dicis. Bene sonãt os, mos, flos: at non bene σοφὸς, καλὸς, κύριος. Est igit hic q̄d discamus à Gallis, est q̄d illi uicissim discant à Germanis. In medijs item ac primis syllabis amant porrigere uocales, ueluti quum dicunt, arma, licet a, sit positu longa, tamen perinde sonant quasi sit geminum a, aarma sono cōtinuo. Id quo possint commodius, elidunt è duabus sequentibus mutis alteram, sonantes mama pro mamma, & alium pro alliū, aduco pro adduco, atero pro attero, ualo pro uallo, anuus pro annuus. LEO. Suggeris animo quiddam, de quo fre-

frequenter addubitaui. Grammatici distinguunt uocalem natura longam, & positu longam. At apud Latinos quum omnes sint ancipites, eóq; dicantur natura longæ quæ positu longæ non sunt, est'ne ratio qua per sonũ possim dignosce re? VRS. Et hoc te docebit uulgata Gallorũ pronuntiatio, qui omnes ferè sonant ut natura longas, duas consonantes aut unam geminam uoce separantes à uocali pręcedenti. Nos enim uidisti, sonamus, ut penultima syllaba desinat in is, ultima incipiat à t: Gallus penultimam finit in i, & ultimam incipit à st. Rex, lex, fex & pax & natura & positu longas Galli recte sonãt: at fax tantum positu longam non item. LEO. Sed præter discrimen soni, unde liquet positu'ne, an natura sit longa uocalis? VRS. Ex cognatis dictionibus hoc elucebit, in quibus abest altera consonantiũ, uelut in amasti, a, natura longum esse declarat, quod & in amare sit lõgum, & in amati, quum absunt consonãtes. Idem apparet in regis, legis, fecis & pacis. Contrà in face, in noceo, unde noxa, in Arabe & trabe declarat uocalis recti esse positu non natura longa. Rursus in τέτυφα & τύφος: manifestũ est υ positu, non natura longum esse in τύπτω, τύψω & similibus. Eadem est ratio in κύκνος priore ancipite: proinde qui duas consonantes separat à præcedenti uocali, si producte pronuntiat, declarat natura longam esse: sin alteram partitur priori uocali, alteram posteriori, significat positu longam. Qui in κύκνος sonat

priorẽ

priorem breuem, consonantem utranq; iungit posteriori uocali. Sic Oratius, Donatura cygni si libeat sonum. &, Forma captiuæ dominum Tecmessæ: cmes, separãdum est à te. Quanquã est nõnullis sua quædam pronuntiãdi ratio, quæ iubet consonãtes posterioribus uocalibus annectere, seu diducere, uelut in Atlas, & aruspex, quoniam prius compositum est à τλάω, & α, particula uehementię: rectius τλ, separatur à prima uocali, quẽadmodum in ἄσαχυς. Posterius compositũ ex ara & specio siue specto, sp rectius annectitur uocali sequenti. Contrà est in abstemio, quoniam dictum est ab abstinentia temeti, s, melius annectitur primæ syllabæ. Quanquam hæc magis pertinent ad orthographiam, quàm ad pronuntiationem. LEO. De uocalibus & accentibus uideor mihi satis instructus. Superest, ut de cæteris itẽ consonãtibus nobis edisseras. VRS. Referã quod memoria suggerit. Tres sunt mutarum ordines, primus est p tenuis, b mediæ, ph aspiratæ, quam Græci propriã habent φ: secundus c tenuis, g mediæ, & ch siue χ aspiratæ: tertius t tenuis, g mediæ, & th siue θ aspiratæ. Atq; hæ potissimũ mutæ dicuntur, quod ne sibilum quidem, aut stridorem, aut strepitum ullum ædere possint, nisi uocalis addita sonum expediat. P sonatur, dum cõpressis labijs, spiritus ex arteria prorumpens diducit os addita uocali, quæ si præcedat mutam, uocalis uelut obmutescit: exẽpla sint, pa, ap: unde Fabius hoc tribuit felicitati linguæ Græcanicæ,

tæ, quod nullam habeant uocem desinentem in ullam mutam, nec in m, quæ & ipsa uelut obruit uocem ore compresso. Consimili ratione promitur b, nisi quod leniore compressu labiorum uox exit, sed paulò largiore spiritu: largissimo φ siue ph. Euidens discrimen senties, si continenter pronũties, pe, be, phe. C uero reducta introrsum lingua, & hinc atq; hinc ad molares illisa, hærentem intra os sonum propellit in palatum superius: nec aliter sonatur g, nisi quod lenius exit, & paulò largiore spiritu, quum chi plurimo flatu proferat: discrimẽ senties, si sonueris co, go, cho. T, sonabis, si summa lingua pulsaris supernos & infernos dentes, eos quos Græci, ni fallor, ζμεῖς appellant, modice diductos. D crassius erumpit: th crassissime. Eadẽ est sonandi ratio in duplicibus, ut ψάλλω, ξένος, γάζα: aut in cõpositis, uelut in πλύω, πνέω, φράζω. Itẽ in κτάομαι, κτῆμα, κνίσσα, γνῶναι, χνοὺς, τλάω, βδέω Rursus in τμῆμα, τμῶλος, δμῶδς, θλάω, θνηὸς, & alijs huius formæ. Nunc expendamus quãtũ in his à germano sono degenerauerimus: Græci pro π sonant b Latinum, si m litera præcedat, ut ἔμπορος emboros, συμπαίζομαι symbæzomæ, συμπόσιον symbosion. Id durius fit, quum idem faciũt in diuersis dictiõibus, mutato etiam sono ν in μ, ut ἐν πρώτῳ embroto, ἐν πυρὶ embyri. Et hoc mutuamur à uulgi delicijs. Nec enim huiusce rei ulla mẽtio fit apud ueteres, usq; adeò in cæteris minutijs tradendis penè dixerã superstitiosos. Rursus pro β sonant u nostrũ consonans, βάτραχος uatrachos,

ἀμβρόσιος amurosios, quum probabile sit β apud priscos Græcos idē sonuisse, quod apud Latinos sonabat b. LEO. Quibus in hanc sententiam duceris argumentis? VRS. Primum est, quod ex tot Grammatices scriptoribus nemo uarietatis huius facit mentionem. Hoc si leue est, dicam aliud. M. Tullius in epistola quadam ad Petum, ut demonstret eandem uocem apud alios obscœnam esse, quæ apud alios sit uerecunda: nec in uerbo turpitudinem esse, sed in sensu loquentis, producit bini, & βινῶ, quæ Latinis sit pudica, Græcis obscœna. Atqui si βινῶ sonabat tum Græcis, quod uulgo sonat hodie, non erat uox eadē apud utranque gentem, nihilo magis quàm apud Latinos bini & uini. LEO. Probabile est quod narras. VRS. Arguit idem Græcanicarum uocum usurpatio. Quod enim Græci dicunt βοῦς, nos dicimus bos: & quod illi βοᾶν, nos boare: quod illi τυρβᾶν, nos turbare: quod illi βαλανεῖον, nos balneū. Quid autē infinita persequor? Et si quid detorquemus, in diuersam partē id facimus citius, ueluti quum pro βαβαὶ dicimus papæ. Hic peccant & eruditi, uulgus autem, & qui uulgatam pronuntiationē non dedidicerūt, interdum pro b pronuntiant u consonans, & cōtrà, ut bibit pro uiuit, & uiuit pro bibit. Id peculiare dicitur cuidam Hispaniarum regioni. Audiuimus & Gallos aliquot ad eundem modum sonātes. Sunt & apud Germanos, qui pro b sonēt p, & contrà, ut pipere pro bibere, & biper pro piper. LEO. Frequenter istiusmodi uoces audisse memi-

memini. VRS. Imò & in libris manu descriptis, huius pronuntiationis uestigia sæpe deprehendimus, ut pabtismus pro baptismus, & uelle pro belle, & bictus pro pictus, βάϐος pro πάθος. Sed plus etiam est erroris in c, cui respōdet apud Græcos κ. Aliud enim sonat Latinis quum præcedit e, i, y, æ, œ, quàm cum antecedit, a, o, u, ut in cæres, cinis, cynicus, cœlum, cæcus. aliud in canis, colo & curo. Nam in illis uulgus nostratium penè nihil discernit inter c & s, ut uix aures dijudicent cœnæ dicas à cœna, an sene à senex: & utrum silicem pro lapide, an Cilicem pro gente: citū à cio, an situm pro positum. In Sicilia, primę syllabæ sonum ægre dignoscas a sono proximæ. Qua quidem in re minus peccant Itali, præsertim Romani, qui tametsi non prorsus eodem modo sonant c, ante uocales omnes, tamen ita pronūtiant, ut manifesto discrimine dignoscas c, literā ab s, linguam in latus dentium læuum intorquentes in Cicero, Cæsar, & Cyrus: in alijs tamen minus est crassitudinis, ut in canis, colo & cura. Difficilior autem est huius literæ distinctio, quoties præcedit s, ut in scio & Scytha, resciscit, asciscit, quā tamen euidenter ac feliciter exprimunt Romani, nos mire cōfundimus. Nos hic & alio peccamus modo, spiritum addentes c, quoties antecedit s, & sequitur a uel u, schando sonantes pro scando, & schutū pro scutū. Quin & Græci κ suū crassius sonant, quasi uergens ad g, ac sibili nonnihil meditās, quoties præcedit uocales aut diphthōgos

ε,ι,η,υ,αι,ει,οι,η,quàm in cæteris. Nec dubium, quin hęc differentia profecta ſit à uulgo, quum nemo ueterum id ſcripto prodidit, quando tamen aliꝭs de rebus minutiſſimis plurima cōſcripſerint. Ex linguis autem popularibus, quas conſtat olim lingua Græca permixtas fuiſſe, coniꝭcere licet, κ ante uocales quaslibet perpetuum ſuū obtinuiſſe ſonum. Sic Germani uulgo ſonant Cæſarem, Bataui filicem, ſic Picardi ici, quod imitatum eſt à Græco ἰκεῖ. Nec me fugit hāc Galliæ partem ob pronuntiationem rideri à cæteris, retinet tamen manifeſtiora Græcæ Latinæq́ꝫ linguæ ueſtigia. Rurſus, ſi quis audiat Anglum petentem oſculum, agnoſcet Gręcum κῦσαι, in qua uoce nos pro υ Gręco ſonamus u Gallicū. Et in noſtrate lingua, quoties illud tenue uolumꝰ exprimere, pro c ſcribimus k, non aliter ſonantes eam in ky, q̄ in ka,
meyßkin ueluti quum diminutine dicimus, puellam, aut
kindt puerum nō diminute, aut noſſe, aut pectere, aut
kennē
kemmē mentum, Et Angli dicunt iugulo, aut regem, aut
kynne ſerua. Nec defuere Latini, qui non patiebantur c
kyl præponi a, ut ca, ſed κα ſcribendum cenſuerunt,
kyng
kiep quod ab eruditis reiectum eſt, negantibus hic opus eſſe litera Græcorum commodatitia, quū c ſuum natiuum ſonum ad omnes uocales deferat. Probabile eſt igitur & apud Gręcos κ, & apud Latinos c, eodem fuiſſe ſono, quacunq́ꝫ uocali ſequente. Nam Latini k propemodum pro ſuperflua duxerunt, quemadmodum & q, quibus uix utebantur, niſi quum unica litera ſignarent totā dictionē,

dictionem, ut Q. pro quinto, k, pro kalendis. Atqui ſuperuacua non eſt, ſi noſtrum c crebro proxime accedit ad uocem ſ. Poſtremo, uel à ranis diſcere licet quod narro. Nam his hæc litera peculiaris eſt, quum audimus illas quotidie modulãtes illud ſuum βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοὰξ, in quo non percipitur illud craſſius, & ad γ ſibilũq; uergẽs, quod nunc audimus in uulgata Græcorum pronũtiatione. LEO. Certum eſt argumẽtum. Nam ranæ non mutant cantionẽ ſuam tot iam ſeculis, quũ homines nihil ſinant eſſe diuturnum. VRS. Non abſurde dicis, ſiquidem ranis lingua ſumma religata eſt, poſtrema, quæ fauces ſpectat, libera, ut aliter ſonare non poſſint. Iam mediam quæ eſt γ, uel g, Latini non ſemper eodem enuntiant ſono. LEO. Qui ſic? VRS. Quum dicis uaga, uago, exiguus, nonne aliud audis, q̃ quum dicis, uage, uagi? LEO. Prorſus. Nam in ga & go gu, audio neſcio quid craſſius ac ſpirantius. VRS. Item aliud audis in lego q̃ in legis, legit, in longas q̃ in longis. LEO. Sentio. VRS. Similiter in Græcis aliud audis, quum dicitur, θεολόγῳ, θεολόγου, θεολόγα, q̃ cum θεολόγε, θεολόγοι. LEO. Vt nos quidem ſonamus. VR. Huic malo ſuccurrit Germanorum pronũtiatio, qui ſono per omnia ſimili dicunt, lego, legis, legit. LEO. Video quemadmodum ex corruptis libris, itidẽ ex linguis quãlibet uitiatis poſſe quædam deprauata reſtitui. VRS. Atqui nos Bataui ridemus hic Germanos, quaſi uitioſum ſit, quicquid diuerſum eſt. LEO. Ad iſtam rationẽ nihil

non eſſet uitioſum inter homines. Verum ut hic recte ſonant g, ita perperam ſonant qui dicunt, caudeo pro gaudeo, & cades pro gades. VRS. Ita ſane ſonant quidam, qui uulgatam pronunciationem dediſcere aut non potuerunt, aut neglexerunt. Verum ex malis ſi quid ineſt boni decerpere, ſapientis eſt. Nos tamen grauius peccamus in aſpirata χ ſiue ch. LEO. Tantum'ne peccatorum? Expectandus eſt annus Iubileus. VRS. Fortaſſis excuſabitur ab aliquibus quod pro mi̅ sonam⁹ mihi, rurſus pro mihi michi, quo iure ueteres in Hebræis uſi ſunt, quo ſonus ſit uegetior, ut in Ioahim, & Ioachim. Verum, quod pro ὑπέχρυσον ὑπέκρυσον, pro Chriſte ſonam⁹ criſte, pro chriſma criſma, quis feret? LEO. Nemo, niſi qui neſcit diſcrimen inter Chriſtum & criſtas. VRS. Sunt ex aduerſo, qui aſpiratum pronunciant etiam cribru̅. LEO. Iſto nomine Germani ſuperiores male audiunt, quum & id ſi quod eſt. uitij multis modis compenſent, & ab Italis profectum uideatur. V. Scio quid dicas. Arrium quem epigrammate ridet Catullus, qui pro commodis dicebat chommodis, pro inſidijs hinſidias, ex cuius immodico flatu tantum erat diſcriminis, ut poëta timuerit, ne poſteaq̃ ille Syriam petens nauigaſſet Ioniu̅ mare, iam non Ionium diceretur, ſed Hionium. Et olim fuerunt apud Græcos, qui uitabant aſpirationem, Iones opinor: & apud Latinos priſcos. Et ne quid exiſtimemus ſub ſole nouum eſſe, ſunt hodie qui ſpiritum addunt ubi nihil opus, & ſpi-

ritum

ritum adimunt, ubi erat addendus. Quorũ hoc posterius Flandriæ parti gentilitium est, qui mira constantia spiritum addunt tenuibus, & adimunt aspiratis. Is error uelut agnatus hæret illis etiam Latine Græce'ue sonantibus. Quemadmodum enim uulgata lingua dicentes herum subtrahunt spiritum, & sonant honorem, ita quum dicunt honorem, addunt: ita Latine loquentes ululam uocant hululam, & humilem umilem. eer heer
LEO. Pulchre pensant uitium uitio. VRS. Audiui Florentiæ in professione publica constanter pronuntiãtem, chorpus, chalidus, & champus, quũ tamen ea ciuitas procul absit à mari, etiamsi plus satis uentorum immittit imminens Appennini dorsum. Arbitror tamen non fuisse Florentinũ. Contrà, cæteri Itali uix distinguũt hominem ab omine, quod nos ingenue distinguimus, & utrique alteros ridemus, quum peccemus utrique. Ac ne soli nos in pronuntiando labi uideamur, sunt apud Italos qui ex publico sermonis usu pro laudo sonant laldo, pro audio aldio. Rursus, qui pro deus degus, pro eum egum, siue echum: ad hæc, qui more Hebræorum plerasque syllabas extremas acuto sono pronũtiant. Mentior, nisi his auribus audiui Romæ sacrificos ad hunc modum pronũtiantes, quumque narrarem in conuiuio quid audissem, existimans id inscitiæ uitium esse, risere quidam, & protinus agnouere cuiates essent qui sic pronuntiassent. LEO. Equidem arbitrabar nos solos barbaros sonare barbare.
VRS.

VRS. Hodie uulgus nuſquam non eſt barbarum. Quin & chi non prorſus idem ſonat in χαῖρε, χεῖρας, βραχὺ, χοῖρος, χλὼ, χεῤῥόνησος, quod in χαρὰ, χερὸς, & εὐνοῦχος. Illic enim audis neſcio quid ſibili, quod in poſterioribus non audis. LEO. Num id recte? VRS. Non ulla ratio, ſed deliciæ morem hunc in uexerunt, mea quidem ſententia. LEO. Apparet. VRS. Quod dicam à priſcis traditũ eſt, γ ſi ſequatur aſpirata χ, aut alterum γ, aut ξ, ſonat medium quiddã inter ν & γ, ut ἐγχειρίδιον, ῥόγχος, ἄγγελος, λύγξ, σφὶγξ, enchiridiõ, rhonchus, angel9, lynx, ſphinx. Adeoq́ non conuenit his literis in eadem dictione, ut ſi prior ſyllaba deſinat in ν, uertatur in γ. Nã ab ἐν & χεῖρ compoſitum eſt ἐγχειρίδιον. Quod ſi poſt γ ſuccedit κ, utriuſq literę ſonus mutatur, uelut in ἀνάγκη, λυγκεὺς. Nam in his γ propemodũ ſonat ν, & κ propemodũ γ: propemodũ dixi, quod non ad plenum exprimitur ν & γ, ſed mediũ quiddam inter utrunq. Simile quiddam auditur & apud Latinos, ſi literæ g, ſuccedat n, aut alterũ g, aut c, aut q, uelut in magnus, agnus, pignus, cygnus, magnes, agger, aggero, ancora, anquiro. Ac ueteres, quorũ eſt Victorinus, adeò putabant nobis hic deeſſe literam, medio ſono inter g & n, ut pro aggerem & ſuggeſtum, ſcribendum exiſtimarint, angerem, & ſungeſtum, Rurſus pro ancora, agcora: pro ancylia: agcylia. Verum n litera noſtris auribus blandior, uicit. Illud certe cõſtat, Italos emẽdate loquentes, aliter ſonare magnus, agnus, q̃ nos ſonamus. Nec enim ſonãt agnus, ut

a per

a per se sonet, nec ag,nus, ut g hæreat priori uocali, sed pro g, audis quiddam quod neq; sit prorsus n, neq; prorsus g, sed e duobus medium quiddam. Ex eodem fonte nascitur, quod quidam scribere maluerunt anquiro, q̃ acquiro, quod q, uim obtinet eandem cum c & k. Ea uarietas declarat illos, nec prorsus sonuisse g, nec prorsus n, sed medium quiddam. Idem censebant de ecquid, nunquid, nanq;, tanq̃, quanq̃ & similibus. Vis enim literæ q, sic m uertit in n, ut g sonum admisceat. LEO Hæc mihi uidentur argutiora, q̃ pro nostra regione. VRS. Simile quiddam tradunt de sono medio inter m & n, si sequatur p, b, aut ph, ut in ampullis, Lycambes & Amphimachus. Ausculta ut sonos auribus dijudices. Quid audis quum sono lycanbes. LEO. N. VRS. Quid cum Lycambes? LEO. Prorsus m. VRS. Quid nunc? Lycãbes. LEO. Nec m, nec n. VRS. Bene habet, quod hæc inter nos aguntur lingua: nam calamo non possint exprimi. LEO. Nisi uocalis esset calamus, quales erant illi plus satis loquaces, qui Midæ auriculas sic traduxerũt, ut hodie quoq; prouerbio celebrentur. VRS. Sic est. Sed ut pergamus, in t, d, & th siue θ, uide quot modis peccetur. Germani superiores th subinde sonant & scribunt pro t, protheus pro proteus. Cõtrà, nos sonamus t pro th, ut in Theologus, Timotheus, & Phaëthon, Phlegethon, alijsq; innumerabilibus, sed multo magis, quum aspiratæ adhæret cõsonans alia, ut pro θνητὸς sonamus τνητὸς, pro ethna, etna, p̃ θρίπτω

ϑῖψω, pro thraces traces: & in totum ægre assuescimus huic aspiratæ sonandę, quam feliciter exprimunt Angli in initio, quum sua lingua dicunt furem: in fine, quum dicunt fabrum ferrarium. Nam his uocibus uelut inimitabilibus solēt hospitem prouocare. Qui crasse docent, monstrant θ propemodum sonare, quod nobis sonat ts, quā syllabā nostra lingua facillime sonat in tsa, quū duabus syllabis dicimus, simul. LEO. Agnosco.

thiff
smyth
tsamen

VRS. Quin frequēter d & t, differentiam confundimus, ueluti quum pro Dauid sonamus Dauit, & ad Petrum, ad te, at Petrum, at te: quod idem facimus in b, nonnunquā sonantes pro abste, apste, quum d & b crassius sint sonāda. Porrò quod Græci τ sonant, ut nos d Latinum, quoties præcedit ν, in ὦντς & ἔντερα, arbitror eos eodem iure facere, quo pro π sonant b Latinum in ἔμπορος Nam quod pro ti, sonamus ci, quoties excipit uocalis, fortassis ueterū autoritate probatum est in Laurentius, & patientia, quum idē apud Græcos nequaqunm fiat. De duplicibus duobus ξ & ψ, iam per occasionem diximus, quas Galli ægre pronūtiant, duntaxat in initio dictionis, salmus sonantes pro psalmus, & senia pro xenia: nos hic certe sumus feliciores. Et Gallorum quorundā uulgus hic addere solet e, exenia pro xenia, epsallo pro psallo. Idem faciunt in st, sp, pro sto sonātes esto, pro specto expecto. LEO. Isthuc nō in Gallis tantum animaduertere licet. VRS. Scio & ante dictum esse, cum quibusdam Hispanis hoc illis esse

Ti.

com-

commune. Et una tantū Galliæ pars habet quod dico, ne totam in me concites. Tertia duplicium est ζ, complectens in se σ & δ, si δ crasse pronunties. Vnde Græci quidam pro γάζα scribunt γάσδα, pro μελίζειν, μελίσδειν. Alij rursus διὰ uertunt in ζα: inde nobis etiam ζάβολος pro διάβολος. Hanc literam, quoniam non reperitur in Græcis dictiōibus, Latini ferè uertunt in geminum ss, ut in patrisso πατρίζω, & in musso μύζω. Eam Germani & feliciter & frequēter usurpant lingua uulgata, quemadmodū & Sarmatæ uidentur ea delectari. Nos tamen loquētes interdum usurpamus illius sonum ubi nihil opus: id ferè perpetuo quoties s, incidit inter duas uocales, pro læsa dicentes leza, pro uise uize, pro illuso illuzo, pro risi rizi: quod unde uenerit in nostram consuetudinem, non satis queo coniectare, quum Romani non uarient in huius literæ pronuntiatione, nec causam uideo mutationis, nec ab ullo ueterum tale quicq̄ sit traditū. Nec enim sa debet aliud sonare in musa, q̄ sonat in salus: nec so aliud in uiso, q̄ in solus: nec se aliud in uise, q̄ in sedeo: nec si aliud in risi, q̄ in sileo. Nec huiusmodi rei quicquam est apud Græcos, quibus σ sonum suum perpetuo obtinet locis omnibus. LEO. Atqui quosdam audio pro simplici s, sonare geminum. VRS. Atq; adeò scribunt quoties antecedit longa uocalis, ut in caussa & læssio. Ad eum modum scribere solitum ferunt M. Tullium. LEO. Fortassis hinc nata est uarietas. VRS. Fieri potest, q̄q̄ reclamat Romanorū con-

ſuetudo: at nos idem facimus, etiam ſi correpta uocalis præcedat, ut in niſi & miſer. Quibus autẽ hic uſus à pueris inolitus eſt, ſimiliter peccant & in Græcis, ſonantes μίζον pro μίσον, & μοῦζα pro μοῦσα. LEO. Video rem operoſiorem eſſe quàm putaram, emendate pronuntiare. Verum nondum explicuiſti quo pacto ſonãdum ſit ζ. VRS. Recte mones, nam exciderat. σ lingua pone dentes ſuperiores appreſſa, profert lenem ſibilum, qualẽ ædit ſerpens minitans & erectus, ubi quis imprudens propius ad nidum acceſſerit, unde litera figuram habet eius animantis ſibilum ædentis, S, inflexo corpore deterrentis. Vnde & exſibilandi uerbum deductum. Huic ſibilo accedit ſonus Δ, ſed craſſior aut lenior potius. Quemadmodũ in cæteris duplicibus ſibilum antecedit habitus oris quo ſonatur p, aut c. Demiror autẽ quur hæc litera tãtopere diſplicuerit Dionyſio rhetori, qui tradit eum ferarum eſſe ſonum, & uix homine dignum, quum Græci in plæriſq; dictionibus ρ uertãt in σ, ſicut attigimus ſupra, rurſum quoties incidit ττ geminum, malũt in geminum σσ uertere, pro γλῶττα γλῶσσα, pro ϐίτταλος ϐίσσαλος, pro τὺ σὺ ſonantes. Nam ſi ideo diſplicet, quod hunc ſonum à ſerpentibus didicerunt homines, diſplicere debet & K, quæ ranarum eſt & coccycis, & b, quę eſt ouium: & m, quæ eſt boum: & o, quæ eſt aſinorum: & ρ, quæ eſt canum rixantium: & a, quæ eſt puerorum uagientium. LEO. Atqui ne deſit omnino patronus Dionyſio, priſci Latini uiden-

tur

tur illam elidere soliti. Quod genus illud ex epigrãmate quod refert Plinius in historia naturæ,

Reginæ Iunonis supremi coniugis templũ.

Item illud ex Ennij uersibus, quos adducit A. Gel.

Doctus, fidelis, suauis homo, facundus suoq;
Contẽtus atq; beatus, scitus, secũda loquẽs in
Tempore. – VRS. Quid mihi narras Ennios, quasi non idem hodie faciant in oratione soluta Galli, quod Ennius fecit in carmine? prorsus elidẽtes s, quum incidit inter uocalem & consonantẽ: in fine uero sic obscurantes porrecta in immensum uocali, ut uix sentias, uelut in est & dominus, in quorum priore, eliso s, sonant geminum, aut triplex potius eee: in posteriore, u, trium uocalium habet spatium. LEO. At mihi uidentur uiri iusti pariter ac prudentes Hispani, qui quod Galli peccant in s, abunde pensant, nihil sine hac litera pronuntiantes, ac sæpius eam in eandẽ dictionem insulcientes. VRS. Vera narras. VRS. Si ludere uacaret, dicerem Gallos, quoniam non assueuerunt sibilis ob serpentium illic raritatẽ, metu ac religione uitare literam, ne prouocatũ cognato sibilo noxium animal, frequẽtius eò demigret. Contrà Hispanos, ut uiros fortes, & serpentium sibilis assuetos, adeò contemnere illos, ut etiam obsibilent, quo absterreant, quomodo solent quidam oppedere tonitruis. Quod si nunc in re tam seria fas esset iocis indulgere, poteram & illud aduersus Dionysium proferre, quod matres ac nutrices hac litera, quam ille uipereã uo-

cat, somnos accersunt infantibus. Sed mittamus & iocos, & recentiorum delicias ac fastidia, quot homines tot sententiæ. Magis me mouet, quod priscis illis tantopere displicuerit, qui parce literam hanc admiscuerunt, in tantum, ut quidam totas odas conscripserint ἀσίγμως, hoc est, nusquã admixto σ. Quin & Pindarus fertur hãc literã infamasse uersu, πρὶν μὲν ἧρπε σχοινοτενῆ φωνήσαντα διθυράμβων καὶ τὸ σὰν κίβδηλον ἀνθρώποις. Iam & illud admiror, quum ζ respondeat gemino sigma, in hoc enim uertunt Latini, quur tãtopere probetur eruditis, ut Quintilianus homo minime surdus, uix aliam putet spirare suauius, ut in zephyris & zopyris. LEO. Dicam quod uenit in buccam. VRS. Vt lubet. LEO. Ipsa se mollit: ut quædam, si modice sumas, lædunt, si copiose, prosunt, ut de lactucis & testudinibus est proditum: quemadmodum n, in manna iucundius sonat q̃ in maneo: & m in mãma mollius est, quàm in lama. Tum uis literæ δ, admixta, temperat asperitatem sibili. LEO. Nihil

F absurdi loqueris. Superest f, de qua superius per occasionem nonnihil attigimus. Sed pleniorem explanationem data opera in hũc distulimus locum. Et hanc quidam iudicarunt superuacaneã, scribentes philius, phacio phacies: mox ph, seruata est græcis dictionibus, phama, Phaëton, Phoebus, Philippus, Pamphilus: Latinis dicata f, felix, facio, fibra. Quanquam ne hic quidem satis constãtes sumus. Nam famam, fugam & furem per f, scribimus, quum græcis sint φήμη, φυγὴ, φώρ. Quod

si prorsus idē sonat f, quod ph, siue φ, constat literam esse superuacaneam. Rursus, si nihil interest in sono, qui conuenit, ut φ numeretur inter mutas, f locus datus sit inter semiuocales? Ad hęc qd opus erat Aeolibus digamma, quum haberēt φ: aut nobis quum suppeteret f? Fatentur enim omnes Claudium Cæsarem iure addidisse digamma Aeolicū, quod nostro f inuerso notabatur Ⅎ, utcunq; uicit consuetudo. Ad hæc, quum autores quidam tradant apud nos u consonans, eam habere uim, quam apud Aeoles habet digāma: sequitur, has literas sono uariasse, quando constat u consonans, sonare diuersum quiddam ab f. LEO. Sic apparet. VRS. Iam Priscianus non omnino malus autor, scripsit nonnihil esse discriminis inter ph & f. Quod euidentius facit Quintilianus libro primo, referens iocum Cicerōis ex oratione pro Fundano, testem Græcum, opinor, irridentis, quod primam eius nominis literā sonare non posset, phundanus dicēs pro fundano: At Marcus Tullius magis erat irridendus, si Græcum φ, & Latinum f, nihil sono discrepant. Idem Fabius libro, ni fallor, duodecimo, cōmemorat hanc literam Latinorum inter eas, quę parum felicis sunt soni, quod inter dētes effletur, unde fieri putat, ut sermo Latinus ne possit quidem ad iucunditatem Græcanicæ pronuntiationis aspirare. Atqui si in hac litera paria faciunt Latini cum Græcis, ridiculum est quod Fabius hoc argumento persuadere conatur, nos Græcis

inferiores esse uocum suauitate. Adde his quod Terentianus docens huius literæ pronuntiationem, euidenter indicat discrimen inter ph, & f, quum enim docet aspirationem in initio uocalibus additam, aut consonantibus quatuor à tergo adiectam, non mutare literæ sonum, sed tantum aspirationis gratiā addere Sotadeo metro, sic rem explicat,

Quia non adicit litterulis nouum sonorem,
Sed Græcula quædā scholicæ nitela uocis.

De f lōge aliter loquit̃, referā enim illius carmen,

Imum superis dentibus apprimens labellū
Spiramine leni, uelut hirta Graia uites.
Hāc ore sonabis, modo quæ locata prima est.

An non hic duplici nota discernit φ ab f, primum quòd in f, labium inferius apprimitur superioribus dentibus, deinde quòd spiritu leniore profertur, ueluti studio uitandi græcam aspirationem, quæ est in φ, in cuius sono labijs utrisq; diductis spiritus uehementior erūpit? Et haud scio an probabile sit, percontatorem illum qui ex Amphiōe sustulit aspiratiōem, de quo supra meminimus, ex Amphione fecerit Amfiōem, quemadmodū alter ille græcus ex Fundano fecit φundanū. Quæ si uera sunt, triplici uarietate distincta sunt, ph, f, & u consonans. LEO. Qua ratione possunt auribus discerni? VRS. In ph, magis stringūtur labia, priusq̃ erumpat spiritus, is erumpit uehemētior labijs ac dentibus latius diductis: in f lenius, dentibus penè coëuntibus, & inferiore, ut dictū est,

labro

labro ſuperioribus dentibus affixo, ut inter hæc litera, uelut efflêtur, in u conſonante, multo etiã mollius effertur aſpiratio, q̃ uel in φ, uel in f, idq́ꝫ diductis & labijs, & dentibus in exitu uocis. Nũc auribus obſerua ſonos, & oculis os meum intuere. Dico pha, fa, ua. Rurſum phama, facio, uado. LEO. Papæ manifeſtum uideo diſcrimẽ. VRS. Su pereſt ſcrupulus, quid Aeolibus ſonuerit digamma, tum autem, an hodie recte ſonemus u cõſonans. Primum, ubi iaceo ſonamus conflatis primis uocalibus, præter ia nihil audim⁹ in ſono no ui. At quum idem facimus in uadit, uelo, uino, uolo, uulnus, aliud quiddam ſentiũt aures. Sona iä, duabus ſyllabis. LEO. Iä. VRS. Contrahe. LEO. Ia. VRS. Fac idem in uä. VRS. Vä. VRS. Contrahe ſimili modo. LEO. Sentio ſonum primæ ſyllabæ in noſtratibus uerbis, quum dicimus, uigilare, molle, uinum, & habitare. VRS. Vna igitur nobis deeſt, ſi recta eſt horum temporum pronuntiatio. LEO. Dic clarius. VRS. Inter ph & f, nonnihil intereſſe in cõfeſſo eſt. LEO. Eſt. VRS. Inter f, uero & u conſonans multum intereſſe res ipſa loquitur. LEO. Vt nos quidem ſonamus. VRS. Atqui, quum Batauus ſonat, album, aut latũ, aliud audis ui, quàm quũ Latine dicis, uide: rurſus aliud quum Batauus dicit percontari, aliud quum ulciſci, aut ſtringere. LEO. Recte. Verum id ſcribũt per geminum VV. VRS. Nimirum differentiæ cauſa. Nam & illis eſt u conſonans eo ſono quo Latine loquentes efferimus, ueluti cum dicunt, pin-

wacken
weeck
wyn
wonen

wit
wyt
vraghen
wracken
wringen

ver
veet
weet
wet

pinguem, aut, simultatem. Contrà quum dicũt, scito, aut legem. Alioqui, quæ uocalis duplicatur initio dictionis, nisi mutet naturam? Nunc accipe & illud argumentum. LEO. Hic sum. VRS. Quum grammatici diligenter indicent affinitatem literarum inter ipsas, ueluti quum pro i, ponitur u, ut in optumus: pro aspiratione f, ut in fordeo pro hordeo: pro s, t, ut in mertare & pultare: pro u, o, ut in dicont pro dicunt, ac similibus innumeris, nusquam mentionem faciunt affinitatis inter f & u consonans, tanta est soni uicinitas, ut si paulo lenius sones f, fiat u: si paulo pressioribus labris, u, fiat f. LEO. Non leue, per musas, argumentum. VRS. Ad hæc, apud Aulum Gellium libro decimoquarto, capite quinto. grammaticus ubi præscripsisset legem, per quam nomina desinentia in us, si proxime antecederet i, uocandi casum inflecteret in i, nõ in e, ut egregius egregi, quemadmodum Virgilius Virgili: diuus, riuus & cliuus, & huius generis alia hoc lemmate excepit à regula, quoniam non simpliciter desinerent in us, quemadmodum Virgilius, sed in eam quæ per duplex uu scribitur, ad cuius literę sonũ declarandum repertum esset digamma Aeolicum. Quod si id tum sonabat, uus in riuus & cliuus, quod hodie nobis, nihilo magis erat opus exceptione in riuus q̃ in Rufus, quum esset manifestus consonãtis sonus ante u posterius. LEO. Persuades alium fuisse sonum. Quid igitur censes? VRS. Censor esse non ausim, at diuino ueteribus

tibus propemodum sonuisse f, quod græcis sonat φ, & quod hodie f, sonat Phrysonibus: sonant enim asperius, quàm nos, qui & u consonans uti nos f, ueluti quum dicunt muscam; uolare, metuere, quæ nos per u consonans sonamus lenius. Porrò u cōsonans sonuisse quod apud AEOLES & Claudium Cæsarem digamma. Id deniq; propemodum sonuisse, quod apud nos hodie sonat uu geminum. Nam quod in uulgata pronuntiatione, u consonans sonamus aliquanto lenius quàm f, apparet ex iisdem delicijs ortum, quæ pro ἔμπορος sonant emboros, & pro οἶνος, uini. LEO. Quibus indicijs isthuc colligis? VRS. Ex ijs quæ iam commemoraui, tum ex linguæ nostratis uestigijs, quā constat græco Romanoq; sermone permixtam esse. Innumera sunt locorum uocabula à uico dicta, ut quum dicimus, comitis uicum, pastorum uicum, fontium uicum, in quibus ultima scribitur per u duplex: unde colligere licet quid olim sonuerit Latinis u consonās in uicus, uanus, & riuus. LEO. Verisimillimum est quod narras. VRS. Item quum uulgata lingua nominas uinum, deprehēdis quid in uino sonuerit prima syllaba. Idem arbitror esse quū dicimus uiolentiam, quanquam corruptis, ut solet literis aliquot. Rursus, quum pro uacare dicimus uigilare, & quum sonamus uentum & uentosum. Similiter quū apud nos uelut euanescit u, illi scribunt per geminū w, ut quū dicūt graue, iurare, uexare, fatuum; duos. Nam apud nos pluribus literis additur,

vliech
vlieghe
vresen
contwyck
herdwyck
brunswyck
ghewelt
waken
wint
windich
swaer
sweren
qwelē
dwaes
twee

ditur, quàm apud Latinos. Contra, quum apud Latinos habetur f, Phrysones & Angli quidã uertunt in f, nos in u consonans, ut hodie sonant Latini, uelut in fluere, fluctu, pisce, & similib⁹ innumeris. Nã in pisce & hinc deriuatis, p, tenue mutauimus in ph, pro qua scribebant f, nos rursus f, uertimus in u consonans, ut nunc profertur. L. Certa narras, mira tamen, & haud scio an omnibus credenda. VRS. Hinc est, quod Germani spirantiores Latine loquentes confundunt interdũ has literas, u consonans & f, quum efferunt conuidit pro confidit, & fideo pro uideo. Nec mirum uideri debet, si quod tradidimus, non est perpetuo uerum, sed fallit in quibusdam dictionibus, quum non ignores, quanta sit sermõis uulgo crediti uolubilitas & inconstantia. LEO. Cætera facile corrigerẽtur, nimirum ut aliquo discrimine sonemus f, in filius, & ph, in Philippus. Cæterum illud durum, si quis pro uanus sonet Wanus, aut pro riuus, riWus, atq; item in cæteris, quæ per u consonans efferuntur. VRS. Nec est necesse, ut prorsus exprimamus uulgatam Germanoꝝ pronuntiationem: satis est si paulo longius recedamus à sono f, & aliquanto propius accedamus ad sonum u, uocalis: Nam inter f, & u consonans fuisse dissonantiam euidentiorem, quàm nunc est, & illud arguit, quod nusquã altera in alterius uicem succedit, quod tamen in cæteris fit passim, inter quas uel tenuis intercidit cognatio, uelut in βούλομαι & uolo: rursum in eo quo ueteres,

vloyen
v oet
visch

tes teste Fabio, pro hœdo dicebant fœdus, pro hordeo fordeum. Verum non occurrit ubi uel f, mutarint in u consonans, uel u consonans in f. LEO. Nondum animum omnibus scrupulis liberasti. Veteres qui meminerunt de digamma Aeolico, ueluti Quintilianus, Priscianus, Aulus Gellius, & , ni fallor, Victorinus, exempla proferunt, in quibus u antecedit seipsam, ut in uulgus & seruus, riuus & diuus. Quod si litera Aeolica non alibi locum habet, quid sonabit u, in uanus, Venus, uino, & uolo? VR. Et in his eundem sonum indicat epigramma, quod Ioānes Tortellius, uir suo seculo magnus, Romæ sibi uisum fuisse testatur, in quo bis fixit, scriptum erat pro uixit. LEO. Nil miror, fortasse Germanus quispiā aut Phryso posuit: quasi nos Romæ non deprehenderimus in huiusmodi monumentis insignes solœcismos. VRS. Atqui non sic elaberis, ô bone, Terētiani uersus audi:

Vt uade, ueni, uota refer, teneto uultum,
Creuisse sonum perspicis, & coisse crassum,
Vnde Aeolijs littera fingitur digammos,
Quæ de numero sit magis una consonantum,
Vocalis in istum mage quàm uersa sit usum.

Audis hic in exēplis ua, ue, uu? quo minus autem posuerit ui, metrum obstitit, quanq̄ dicere poterat uidete uultū, atq; in his u mauult esse nouam literam Aeolicā, quàm ex uocali mutatam. LEO. Nondū exemisti scrupulum. Præ A. Gellio & Quintiliano contemnere possem Terentianū, & quod

ait de digammo, poteſt ad ultimum exemplum pertinere, uidelicet uultum. Nam epigramma nihil me mouet. Auli Gellij ſententiã retuli, Quintiliani uerba ſubtexã. Noſtri, inquit, præceptores, ceruon ſeruonq; u & o literis ſcripſerũt, quia ſubiecta ſibi uocalis in unũ ſonum coaleſcere & confundi nequiret, nunc uu gemina ſcribuntur, ea ratione quã reddidi, neutro ſanè modo uox quam ſentimus efficitur, Nec inutiliter Claudius Aeolicam illam Ⅎ ad hos uſus literam adiecerat. Ex his Quintiliani dictis perſpicuũ eſt, fuiſſe quendã ſonum quẽ nec φ redderet Græcũ, nec f Latinũ, nec u conſonãs. Rurſus cõſtat u cõſonãs aliud ſonuiſſe in uado, uenio, uideo & uolo, q̃ in riuus aut ſeruus: & hunc ſonum Latinis literis notari non potuiſſe, eoq; peregrinam literam à uicinis Aeolibus mutuo ſumptã, quam Δίγαμμον appellant, quæ ne uideretur eadem cum f Latina, inuerſa eſt Ⅎ. Ea loco utriuſq; u, ponebatur in ſerⅎs, nec aliàs uidetur habuiſſe locum. Nos autem nihil diſcernimus u, conſonantem, ſiue præcedat u, ſiue alias uocales, etiamſi hoc diſcrimẽ Quintilianus ſignificat fuiſſe perquàm tenue, ſentimus, inquiens, & tamen erat aliquod, cuius gratia Romanus imperator putauit literam aliunde accerſendam. VRS. Sic urges, quaſi meditatus ad hoc certamen acceſſeris. Cogemur itaq; quartum addere ſonum, phu, fu, uo, uu, ut ph in phuga ſpiritum obtineat Græcanicũ: f in fundo flatũ Latinũ: u in uolo craſſius q̃dam q̃ f: u, in ſeruus, longius abſit à ſono f, q̃ u, in

ſeruos,ac propemodum ſonet,quod apud Barba
ros, & olim ſonabat u geminatũ. Qua de re ſatis,
opinor, ante diſſertum. LEO. An ſatis non liquet,
nam Victorinus tradit Aeolicum digamma ean-
dem eſſe literã, quam Hebræi dicunt Vau,eamq́;
reſpondere noſtrę u,conſonanti:ſed libet quod in
ſcholaſticis diſputationibus ſolenne eſt dicere,ac
quieſco,quo reliqua peragas. VRS. De G,igitur di
ctum eſt, inter illius cognatas propemodũ con-
uenit inter grammaticos aſpirationem è literarũ H
catalogo iure ſubmouẽdam eſſe, nihiloq́; iuſtius
uideri ut inter literas numeretur, q̃ ſi apud Græ-
cos ſpiritus toni'ue nota in literarum ordinem ac
cerſeretur, quum interim, inuitis grammatico-
rum cẽturijs propè dixerim, regnet in medijs lite
ris,præpoſita uocalibus lenius ſonãs:rarius enim
poſtponit̃ in aliquot barbaris & interiectiõibus,
ueluti in ah,uah,oh,& proh,non ſine rixa tamen
grammaticorũ,cauillantiũ id per apocopen fieri,
quũ integræ uoces fuerint,aha,uaha,ohe,& pro
he:alijs dicẽtibus, nihilo magis præcipi poſſe,q̃-
modo ſcribẽdæ ſint interiectiones,q̃ pręſcribi po
teſt alienis affectibus, quorũ illæ ſunt notæ:cõſo-
nantibus uero poſtpoſita uehemẽtius ſonat.Poſt
ponit̃ aũt c,t,p.Sẽper aũt ρ apud Græcos,ſi conſo
nans hæc ſit uocis initiũ, rurſus in medio gemina
tis ῤῥ,additur poſteriori,ut in choris,thymũ,phyl
lis,& rhetor,& catarrhus. Nec raro medijs uocali
bus interſeritur, quo ſonus ſit uegetior. Siquidẽ
Aulus Gellius citat peruetuſtos codices,quos exi

ſtimabant fuiſſe Maronis αὐτογράφους, in quibus aït ſe uidiſſe uerſum hunc ex ſecūdo Aeneidos libro, Exultat telis, & luce coruſcus aëna, ita fuiſſe ſcriptū, ut ſuperne inter a & e, h litera fuerit annotata, a^{h}ena. Similiter in illo uerſu, Aut folijs undam tepidi diſpumat a^{h}eni. Quod idem in nihil & mihi factitatum, iam prius admouimus. Adeo uero non eſt ſuperuacanea, ut Aeolum exemplo, Latini quoq; huius uice ſubijciant f, dicētes, ut modo dictum eſt, pro hordeo fordeum, & pro hœdus fœdus. Latini in Græcis uſurpandis non raro uertunt in ſ, quum pro ὗς dicunt ſus, pro ὑπέρβιος ſuperbus, pro ἕρπω ſerpo, pro ἑπτὰ, ſeptē, pro ἓξ ſex. LEO. Mirum iſtos adeo contempſiſſe ſpiritū, quū uideamus & arbores diffringi, & tecta ſubuerti, & mare intumeſcere, & terræmotus cieri ſpiritu. Verum illud adde, quomodo promendus hic flatus? VRS. Quid ni ſuperne? LEO. Non hinc ambigo, quanq̄ et ructus ſuperne erūpit: Sed quibus et quomodo temperatis organis? VRS. Id in arteria, muſculis, et faucibus ſitū eſt, tam morigeris, ut animo nonnunquam aliud agenti tamen obſequantur. Puer uirilem uocem ædere non poteſt, ſicut nec mulier, nimirum ob anguſtiā tranſitus. At uir cōſtrictis muſculis, quum libet, uocē ædit puerilem. Et alioqui contractis aut dilatatis faucibus, et arteria pro ſuo arbitratu, magis exilem aut grādiorem emittit. Nec igitur ſummis labris ædendus eſt flatus, qualem ſolent, qui pultē plus æquo feruentem refrigerāt, nec ab umbilico du-

cendus

cendus, ut solent germani quidam, tantum efflātes uenti, quantum molæ farinariæ circumagendæ sit satis, sed moderate proferēdus e faucibus, neq; fatigandus pulmo, uelut in spiritosis, ac labore anhelis. Sūt enim in quos illud e satyra possis dicere, Tunc immensa caui spirant mendacia folles. Et sunt rursus, qui moleste ferant sibi inhalari spiritum alienum, qui nonnūquam obolet allium, cepas, aut salsamenta, aut polypum, ut absit scabiei contagiosæ, aut pestilētiæ, alterius'ue morbi periculum, quum nullus sit facilior q̃ per halitum transitus. LEO. Vnde mihi uidetur modestiæ causa natum, quod quidam ore presso loquunt̃, quæ res mulierculis uersa est in iocū oris pusilli. VRS. Ab eadē modestia natū arbitror, q̃d olim oculis semiclusis inuicem intuebantur. Id indicant picturæ nostrates ante annos ferè cētum æditæ, tali forma nobis exhibentes, si quos intelligi uolunt ab improbitate uehementer alienos. LEO. Emoriar, nisi istuc in picturis mediocris antiquitatis sępenumero miratus sum. VRS. Verum ut hoc ineptum sit, tamen est in oris & oculorū diductu quædam decora mediocritas. Me puero sese sic stringebant mulierculæ, ut insectas diceres. Ea res quum esset inepta, uidebatur cum primis elegans, simul'q; quod erat consequens, uerecundum habebatur, quàm minimum cibi capere. Ad id enim confert mediȷ corporis strictura. At è diuerso, parum decorum est, mulierem discinctam uideri, Virtus est mediū uitiorū utrinq;

redactum. Idem obseruandũ in diducendo rictu, in dilatandis faucibus, in promendo spiritu. Peccant, qui nihil aspirãt, peccãt, qui aspirãt omnia, peccant, qui lenius q̃ sat est, peccant, qui plus satis, sed grauissime peccant, qui præpostere id faciunt. Nec quiuis flatus est aspiratio literaria: cõcitatus, anhel⁹, aut qui procul semotis loquitur, ut solent nautæ rusticiq́; maiore spiritu loquuntur, q̃ qui cum proximis confabulatur. Verũ hoc nihil ad grammaticum. Alioqui nullius literæ sonus absq; spiritu promitur. De spiritu satis uidemur nugati. Addamus his, si uidetur, reliquas semiuocales l, m, n & r, inter quas ρ Dionysius γεννοτάτην appellat, quum sit asperioris soni. Nam linguæ fastigio in palatum superius uibrato tremulis ictibus fragorem reddit, qualem audimus in lapide magno impetu perpulso funda, aut iaculo balista excusso, aut baculo uirga'ue celeri motu per äërem acto. Vnde in dictionibus, quibus celeritatem, impetum, aut asperitatem significare cupimus, hanc literã admiscemus, ueluti Græcis in ῥεῖν, ῥιπὴ, κρούω, χειμάῤῥους, τρέχω, τραχὺς, τρόμος, βρέμω: Latinis in rapio, ruo, roto, fulgur, tonitru, torrens, ructus, horror, fremo, frendo, strido. LEO. Ita'ne uoces ad rerũ quas significant, similitudinẽ effictæ sunt? Arbitrabar fortuito natas, aut certe pro arbitratu instituentium. VRS. Imò, referunt ipsis elementis ipsoq́; sono quod significant, uerũ nihil est necesse rem totam, ut est, uoce repræsentari, satis est aliquam similitudinem apparere: quæ

quæ ſi non appareat, tamē aliquid cauſæ ſubeſt, cur huic rei uocabulum hoc ſit impoſitum. Bellum, apud nos ominis gratia blanda uoce ſonat, quemadmodū apud Græcos Furiæ dicuntur Eumenides. Ita qui lenitatem, aut lentitudinē declarant, amant l, ut Grecis λεῖος, λείχειν, Latinis, lentus, labi, lenis, lubricus. Quæ uero magnitudinem, m, qua nulla ſpatio maior litera, gaudent, ut Græcis μέγας, μακρὸς, apud Latinos, magnus, mōs, moles. LEO. Quur igitur leōem dicimus potius ꝗ reonē? VRS. Vel ominis cauſa, uel quia in longum porrectum eſt animal nullius proceritatis. LEO. Si uera narras, oportebat cuiuslibet rei in quauis lingua idem eſſe nomē. VRS. Nihil eſt neceſſe. Quū enim ſufficiat qualiſcunq; rei repræſentatio, poteſt eadē alijs atq; alijs modis effingi, ueluti quū Grece dicis χαίνω, Latine hio, Batauice, chapen, in ſingulis ſentis expreſſam oris diductionem. LEO. At quur μακρὸν & μικρὸν, quum diuerſa ſignificēt, eandem habent conſonantem? VRS. Affinitas inter cōtraria poſcebat hoc, ſed per a, quod ample ſonat: & i, quod exiliter, notatur diſcrimē. Ad hec, quoniam eiuſdem rei multæ ſunt qualitates, ſatis eſt, ſi ab una quapiam harum ſumatur uocabulum, nec abſurdum ſit, ſi res eadem lingua pluribus uocabulis ſignetur. Verum ſatius eſt, ut hanc diſputationem in aliud tempus reijciamus, uel quia uix habet exitum argutatio, uel quia ad id quod inſtituimus, nihil habet momenti. Aliàs dabitur otium, ſi li-

bebit. LEO. Tuo arbitratu, sed absolue quod orsus es. VRS. De L, dicam, itaque si linguã ualide tendas in eam palati partem, quę dentibus supernis est proxima, moxque diducas os, erumpit blãdus ille tinnitus, sonantior tamen in medio ac fine quam in initio dictionis, ut sol, mel, uolo, lego, nisi quũ finit syllabã, ut soluo, saluus. M, uero compressis inter se labijs, mugitũ quendã intra oris specũ attractis naribus ædit, sonãtissima in medio duplicata, ut mamma: in fine prorsus obmutescẽs, unde μύζειν dicuntur Græcis & Latine mussare, qui tacite loquuntur, nec audent uocem clarã ædere. Hinc & mutũ dixerunt Latini. Superest N, quæ ad palati conuexum inhærente lingua, gemino naris & oris spiritu uocem explicat, maxime tinniens in medio geminata & in fine dictionis, aut syllabæ, ut in manna, mandragora & nomen. Vnde & tinniendi uerbum Latinis, elementi uocem exprimens, fortassis & ganniendi. Docet autẽ Fabius, olim diu fuisse rarum semiuocales duplicare, ut in allijs, lallare, Tullius, manna, sanna & curro: & probabile est ueteres sic fuisse loquutos ut scribebant. Nam eam rationem Quintilianus indicat optimam, ut ita scribantur dictiones, quẽadmodum sonãtur. Contrà uocales, ut dixi, productas geminabãt. LEO. Isto pacto Gallos uideo posse defendi, qui palium dicunt pro pallio, mama pro mãma, sana pro sanna, anum pro anno, panũ pro panno, torens pro torrens. Quanquam hoc non in liquidis tantum faciũt. Ex concursu quarumli-

rumlibet consonantiũ aliquam elidunt,aut certe obscurant,dum capa dicũt pro cappa, lipus pro lippus,batus pro battus. VRS.Ridiculum sit nũc in nostrã pronuntiationẽ asciscere, quæ Cicerõis etiã ætate erãt obsoleta.Nec min⁹ tñ peccãt, licet diuerso uitio, q pro simplicibus sonant geminatas,comma pro coma, commedo pro comedo, comminus pro cominus,collo pro colo,bonnus pro bonus,curro pro curo,rippa pro ripa,pro pene penne,pro anus annus,camellus pro camelo, mustella pro mustela,suadella pro suadela. Si uetustas patrocinatur errori, antiquum est & hæc ita sonari.Etenim ni fuisset hic error, Victorinus non rixaretur cum suis discipulis, quod in his dictiõibus consonantẽ perperã geminarẽt.Quanq̃ idẽ autor indicat,consonantẽ duplicandã Sicilica notula signari solere, quæ cuiusmodi fuerit, nec mihi satis liquet,nec refert, quũ is scribendi mos iam olim exoleuerit.Nihil,opinor,superest præter Y,qua Latini non utũtur,nisi in Græcis dictionibus,sonum illius fuisse medium inter i & u,Gallico more pronuntiatum,iam indicauimus. Vnde non defuerunt,quorum est Victorinus, qui y literam nobis necessariam esse iudicarunt,in gyla,mysera,proxymus, optym⁹, sylla:pro quibus nos gula,misera,proximus, optimus, & sulla sonamus,q̃q̃ sylla est usitatius.LEO. Vtinam libeat & illud addere, quod solent literarum doctores. VRS.Quid nam? LEO.Vt exemplo proposito,præceptiones,uelut in speculo, nobis ostendas, exi-

gasq; num satis uel intellexerim, uel meminerim, quæ tam multa disseruisti. VRS. Nihil grauabor, uerum id lingua fieri nō potest, nec est unde petamus calamum, atramentum, & chartas. LEO. Imitabimur ueteres pastores, qui teneris arborū corticibus inscribebāt suos amores, spina, opinor utentes pro stilo. VRS. Non cōmittemus, ut cuiq; in nos damni dati sit actio. Est mihi uagina recēs, ac uersuū aliquot capax, & stilus adest, quanquā non in hunc usum paratus. LEO. Vtinam sic abuterentur omnes suis armis. VRS. En scribo.
Óptimă quǽq; díēs mĭsĕris mŏrtālibus ǽui
Prîma fúgit, súbeūnt mórboi, trîstisq; sĕnéctūs,
Et lábor, & díræ rápit inclēméntia mórtis.
Nunc audi pronūtiantem, oculis in uaginam defixis, auribus ad uocem attentis. LEO. Adsum, sona. VRS. Vides & audis in optima, primam longā & acutam. LEO. Natura'ne, an positu? VR. Id hoc loco nihil refert, quandoquidem tonus est in antepenultima. LEO. Recte. VRS. In secunda syllaba ti, audisti'ne sonum medium inter i, & u Gallicū, quemadmodum in heri? LEO. Plane. VRS. Tertiā uides breuem, addita ueluti semicirculi nota, sursum porrectis cornibus, ne putetur auferendi casus. LEO. Video, sed quur media nō habet notam? VRS. Quoniā accentus arguit illam esse breuem, Latinis duntaxat. LEO. Quur in quæq; prior habet circūflexum? VRS. Quoniā natura longa est, nimirum diphthongus, & syllaba sequitur natura breuis. LEO. Quin hic addis notam productionis?

nis? VRS. Quoniam tonus ipse demonstrat esse porrectam, qui nisi in longis non habet locum, idq; uel in fine, uel in proxima finali. Eadē de causa, q;, nullā habet notam, quoniā inflexus accētus in eadem dictione non antecedit nisi natura longam. LEO. Sed præstat, ut tu me perconteris. VR. Agam, si lubet, grammaticum, tu discipuli personam sustine. LEO. Hoc sane malebam. VRS. Dies quur priorem acuit? LEO. Quia sequitur natura longa. VR. Adde, & præcedit breuis. Quoties enim ultima natura lōga est, non refert qualis syllaba præcedat, secus esset, si prior esset longa non positione, sed natura. Nunc sona mihi posteriorem syllabam, es. LEO. Diēs. VRS. Probe, quasi sit geminum ee, & sono Gallico. Atqui uulgus non discernit æs in eo unde est æris: in dies & fames, in es à sum. Quur in miseris prima acuitur? LEO. Quia penultima natura breuis est, eoq; notam nō habet. VRS. Rursum sona mihi miseris. LEO. Miseris. VR. Sentis'ne te hic bis peccasse? LEO. Qui? VRS. Primum se, non oportebat aliud sonare inter duas uocales, quàm sonat in sedere. LEO. Exciderat. VRSVS. Deinde ris, sonandum erat ueluti duplicato ij, quemadmodum sonas Batauice glaciē. ijs Nunc denuo sona. LEO. Miseris. VRSVS. Pulchre. Sequitur mortalibus. In mor, quam uides notam? LEO. Breuis, & eius notulæ dimidium. VRSVS. Quid sibi uult? LEO. Quia syllaba mor, positu longa est, non natura. VRSVS. Vnde id doces? LEO. In promptu est, quum dicimus

dicimus émori. VR S. Quid in tā? LEO. Virgulam iacentē, quæ doceat natura longā. VR. Quur præterea nihil? LEO. Quoniam syllaba non desinit in consonantem. VR. Li, cur nullam habet notam? LEO. Quoniam accentus præcedens, indicat esse breuem. VR. Quid si dicas mortalis? LEO. Circumflectam tâ, natura longam, sequente bus natura breui. VR. Quomodo sonas bus? LEO. Nō u Vuesphalico, sed Gallico, nisi quod non itidem porrigo labra, neq; proferam sonum. VR. Docilem agis discipulum. Aeui, quur priorem non circumflectit, sed acuit? LEO. Quoniam sequitur ultima natura longa. VR. Quid si positu tantum esset lōga? LEO. Circumflecteretur. VR. Da exemplum. LEO. Vt si dicas æūūm. VR. Hic natura breuis est. LEO. Sôrex. VR. Prîma, quur inflectit tonū? LEO. Quoniam natura longa sequentem habet natura breuem. VR. Quid si dicas, prima luce? LEO. Acuā primam, & mā addam uirgulam, primā. VR. Quanquam & hoc superuacuū æque atq; in breui, sed fúgit, quur acuit priorem? LEO. Quoniam breuis natura breuem præcedit. VR. Quid si dicas fugit heri? LEO. Inflectam fû. VR. Quur? LEO. Quoniam natura longa proximam habet natura breuem. VR. Quur prima morbi, caret nota breuis? LEO. Quia producitur. VR. Quin igitur addita est nota porrectæ, sed breuis & semis? LEO. Quia positu longa est, non natura. VR. Quur prior acutum habet potius quàm inflexum? LEO. Quia & ipsa positu longa est, & sequitur natura longa. VR. Vnde

scis

ſcis eſſe poſitu longam? LEO. Quia deduci uidetur à moriendi uerbo. VR. Quid ſibi uult diphthongus in poſteriore? LEO. Vt diſcernatur à genitiuo ſingulari. VR. Triſtisq́ꝫ, quur priorem habet circũflexam? LEO. Quoniam natura longa eſt. VR. Verum, ſequitur longa. LEO. Poſitu non natura. VR. Vnde accentus alter? LEO. Ex quę coniunctione, quę proximam è graui facit acutam, quod idem faciunt ne, & ue. VR. Senéctũs, uides longe aliud ſonare ultimam, quàm in mortalibus. LEO. Quid ni uideam? Hic Gallos imitor excepto tono. VR. Et, quur nullum habet accentum? LEO. Opinor, quod ut coniunctiuncula adhæret illi quod connectit, quod idem accidit in nonnullis prępoſitionibus, quæ ſic annectuntur ſuis caſibus, quaſi ſit unica dictio, ut inarmis, inbello, exædibus. Item in diſſyllabis, ut ſuperomnia, præter omnes, antediem. Nam in uetuſtis codicibus etiam ſcriptura coniungit hæc. VR. Commodus es diſcipulus qui uiciſſim & doces. Quid ſi làbor inflexiſſes? LEO. Iam ex nomine feciſſem uerbum. VR. Dirai, quur acuit priorem? LEO. Quia longa natura pręcedit longam. VR. Qui fit igitur ut Græci circumflectant μοῦσαι? LEO. Quia αι, & οι in fine dictionis, pro breuibus habentur, duntaxat quod ad accentus rationem attinet. Ea lex non eſt apud Latinos. VR. Quur igitur nõ ſcribunt μούσαις inflexe? LEO. Obſtat addita conſonans. VR. Quur in Dirai pro æ ſcriptum eſt ai? LEO. Vt diſtingueres genitiuum à nominatiuo plurali. VR. Quum mortis longam

habeat

habeat ante breuem, quur non inflectitur prior? LEO. Quia positu longa est, non natura. VRS. Vnde id coniectas? LEO. Quoniam à Græco μόρος, & inde mori, ut ante dictum est. VRS. Nunc rursus si libet ausculta me sonantem hos uersus:

Optima quæq; dies miseris mortalibus æui,
Prima fugit, subeunt morbi, tristisq; senectus:
Et labor, & diræ rapit inclementia mortis.

LEO. Auscultaui non oscitanter. VRS. Primũ animaduertis'ne quasdam productas sonare tono acuto, ut ǽui: quasdam inflexo, uelut prîma & trîstis? LEO. Sensi discrimen. VRS. Deinde breues aliquot acuto tono, ut díes, míseris, fúgit, lábor, rápit? LEO. Qua in re peccant Latini quum Græca pronuntiant? VRS. Nec illud te fugit, me nihilo productius sonuisse natura quàm positu longas. LEO. Sensi, uerum admonuisti, subtile discrimen hoc nòn seruari in metris, qui suis currunt legibus. VRS. Et in quæque, sensisti elidi u, licet non penitus. LEO. Sensi & hoc. VRS. Iam in æui, duò sensisti, & diphthongi uestigium, & sonum Aeolicæ literæ. LEO. Sensi tenue quiddam. VRS. In prima fúgit, arbitror animaduertisse te discrimen inter inflexum tonum & acutum. LEO. Non hic tã tum. VRS. Quin in, subeunt, non te latuit, opinor, aliud sonare u, quàm in mortalibus & senectus. LEO. Videbar audire ου diphthongum. VRS. Idem audis in sunt, legũt, audiunt. Euidẽtius erit discrimen, si tollas liquidã, & sunt uertas in sutor, & eunt in uter. LEO. Papæ quantum interest. VR.

Verum

Verum hoc fortaſſis excuſabit uetuſtas quæ in huiuſmodi ont pro unt ſolet ſcribere, legont, cupiont. Rurſus in optima, deprehendiſti o ſemoueri à pt. Sic efferunt Itali, nec liquet quam ob cauſam, quũ ſint duæ mutę Et incertũ, an ab opto deducta uox ſit, nec ſatis conſtat, natura'ne producatur prima an poſitu. LEO. Quid igitur? VRS. In his, in quibus nec ipſa uocalis, nec diphthongus, nec cognatio dictionum diſſoluit ambiguitatẽ, pro natura longis habemus, quemadmodum in triſtis. LEO. Pergratũ feceris Vrſe, ſi Græcum diſtichum tantum, ad eundem modũ excuſſeris. VRS. Eſt diſticho locus, en tibi carmen Heſiodi:

Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει.
Αἰδὼς ἥτ' ἄνδρας μέγα σίνεται, ἠδ' ὀνίνησι.

Nunc oculis obſerua ſcripturam, uocem auribus. LEO. Iſtic ſum.

Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει.
Αἰδὼς ἥτ' ἄνδρας μέγα σίνεται, ἠδ' ὀνίνησι. LEO.

Nouũ pronuntiandi genus. VRS. An nõ aliũ audis ſonum in αι, q̃ in κε, aut in, μέ? LEO. Quid ni audiã, ni ſurdus ſim? VRS. Audis propemodum eam uocẽ, quã ædunt Sueui ſonãtes Cæſarẽ ſua lingua. LEO. Maxime. Nec a prorſus, nec i prorſus, ſed tamen utrãq; agnoſco literam. VRS. Deinde in δὼς, audis δ, aliquanto ſonare craſſius q̃ d, uulgo ſonant Latini. LEO. Plane. VRS. Ad hæc δὼς, non hic idem ſonat quod in ὁδός. LEO. Audio longã ex duobus oo minutis conflatam. VRS. Quid in οὐκ, audisne Gallicum u? LEO. Minime. VRSVS. Italicum?

LEO. Non. VR. Vesphalicum? LEO. Propemodum, nisi quod o magis resonat, ut quum nos dicimus kout frigidum. VRS. Quid in θὴ? LEO. θ feliciter aspiratũ, & pro η, propemodum a Zelandicum. VRS. Quur θὴ grauatur potius quàm acuitur? LEO. Quoniam sensus nullam ibi cõcedit interspiratione͂. Alioqui transisset grauis in acutum. VRS. Quid in κεῖ? LEO. Idem ferè sonat κ quod in κομίζῃ, nisi quod lingua non nihil lentescere uidetur ad γ. VR. Tantulum sanè dare fas est consuetudini. Nec te fugit hic κε præter naturam suam porrigi, quod à muta liquidaq; excipitur. LEO. Teneo. VR. Nec ideo produci μέ, quod habeat tonum acutum. LEO. Vtranque corripis μένον, priore clarius sonante, posteriore summissius. VR. Quur in ἄνδρα prior acuitur poti9 quàm inflectitur ἆνδρα? LEO. Quoniam positu lõga est, non natura. VR. Atqui Homero est anceps. LEO. Sat est alicubi corripi, ut hanc lege͂ effugiat. VR. Iam in κομίζει, nonne aliud sonat uocalis penultima, aliud diphthongus ultima? LEO. In ζει audio sonum ex ε & ι conflatum. VRS. Atqui nostro uulgo nihil distinguitur inter θὴ, χρὴ, μι & ζει. LEO. Sic est. VR. In altero carmine, in ἦτ' rursus audis a scoticum, & in ὀνήσοι præter η & iota quod suo utcunq; sono dignoscitur, quũ nos confundere soleamus, οι nihil aliud sonat quàm in σίνεται: aliis sonaturis ὀνήζι. LEO Memini. VR. Nec ideo corripio penultimum η, quòd præcedat acuta breuis, que͂admodum nec in μέγα priorem porrigo, quòd tono intendatur, non extendatur. LEO. Nihil euidentius, si quis

si quis assuescat. Iam ne satis dissertum est, quod attinet ad rectam pronuntiationem? VRS. De rhetorica pronuntiatione non institueramus dicere, de grãmatica nõ ita multum arbitror superesse, si iunxerimus distinguẽdi rationes. Nam & in his peccat uulgatus usus. Nec iam loquor tantum de incisis, quæ commata uocant Græci, deq; membris, quæ cola nominant, & periodis, quæ conclusiones aut circumacta dicas licebit, deq; notis horum si scribas: silentij modis, si pronũties, uerum etiam de morulis respirationum, quæ tradi arte non possunt, quandoquidem nec in illis tradẽdis admodum consentiunt grammatici, nec perpetuum est, quod tradunt. Nec enim semper æquale silentium dirimit comma à commate, nec colon à colo. Nec quamuis periodum sequitur ęque prolixa respiratio. Quoties enim articuli constãt singulis uerbis ἀσυνδέτως, neq; nihil, & minimum moræ debet interponi, ut: ueni, uidi, uici. Sin duabus ac pluribus uocibus, plusculum interponitur moræ, ut: rem familiarem prodegit, famam prostituit, genus dehonestauit, amicos alienauit, patriam prodidit. Hic cõmatum cursus quidam, & congeries est. Rursus, quum prius comma proponitur uelut à percontante, & posterius accinitur uelut à respondente, paulò longius silentium intercedit, ut: Quæ tandem spes est, illum fore frugi? Num pudor corriget? Iam pridem depuduit. Amicorum consilia? Ne parentibus quidem unq̃ auscultauit. Aetas grãdior? Ea semper addidit ne-

quitiam. Interdum ipsa incisa habent leuem incisionem, uelut in illo Musonij dicto: Si quid turpe feceris cum uoluptate, uoluptas abit, turpitudo manet. Si quid honeste feceris cum labore, labor abit, honestas manet. Hic quanq̃ in utroq; membro, post uoluptate & labore est diastole, tamen post feceris, & post abit, & manet, nõnihil est respirationis, quo magis sentiatur ἐναντίωσις. Rursus idem fit in secundo membro. Subtilius est autem quod indicat Fabius in Arma, uirumq; cano: Primam dictionem arma, per hypodiastolen separandam à sequentibus, quum uterq; casus, referatur ad idem uerbũ cano, cæterũ quoniam uirũ refertur ad seqũtia: nimirũ hæc: Troiæ qui primus ab oris, breuissima interspiratiuncula monendus est auditor, sic ut minimum accedat silẽtio, minimum decedat breui syllabæ. Vnde & ὑποσυστολὴ dicitur, quod breui quoq; nonnihil detrahitur. Quoties enim ex lõga fit breuis, ut: vrbemq; Fidenã, systolen uocãt grãmatici, hoc hyposystolen appellat Fabius, quæ dimidiũ temporis detrahit syllabæ, & addit silẽtio. Rursus post hãc clausulam: Atq; altę mœnia Romæ, quatuor aut quinq; temporum spatio uocẽ suspẽdere licebit, ut uelut nouo exordio subijcias: Musa mihi causas memora. Interdum & uox nõnihil immutatur, ubi particulam à sensu diuulsam interseris, ut: Hos illi, q̃d nec bene uertat, mittimus hœdos: quod nec bene uertat, uoce nonnihil immutata sonat. Obscurius est in illo: Qui malũ, alij: Malũ enim, quoniam interie

ctionis uicem obtinet, leui submissione uocis distinguendum est, nec nõ morula, sed breuissima. Cæterum in Adelphis Mitio quum dixisset: Storax, clariore uoce, nimirũ accersens seruum, interposito iusto silentio, reliqua mutata uoce ueluti secum loquitur. Verũ hæc persequi non est huius instituti, & extant autores, unde hæc qui uolet possit petere: quod hic agimus illud est, pueros arcendos à more quorundam, qui totum sermonem perpetua linguæ uolubilitate, & ut Græci dicunt, ἀπνευστὶ pronuntiant, quod in Gallis potissimum mihi uideor animaduertisse, nonnullis etiã hoc ceu uirtutem affectantibus. Rursus, alij singulas pene uoces lõga interspiratione, aut etiam tussi gemitu'ue dirimunt, nec ullum tam leuiter incisum occurrit, ubi non diutius intersilescant. Sunt autem uoces quæ se nullo silentio interposito patiuntur coniungi, ut cũprimis, & homo prędiues, oratio benelonga, uir malesanus, quasi cõpositæ sint. Rursus aliæ nõ patiũtur, ut: uxor iussit suo nomine tibi salutem dicerẽ: uxor à iussit, tenui discrimine separandum est, atq; etiã iussit à pronomine suo, ob collisionem consonantiũ: suo nomine, probe cohærent. At magis faciendum in duplicibus duplicatis, aut concursu duplicatarũ, ut syncera pax xenia non moratur: & pons struẽdus: inter pax & xenia, inter pons & struendus, distinctio fere duo requirit tẽpora. Et: Declarãt studiũ in nos suũ: Inter declarant & studiũ, uix sufficit interposuisse tempus unum. I E O. Deum im-

mortalẽ, quàm operosa res est, emendate loqui. VRS. Ex his conijcias licebit cætera. Nam, ut diximus, innumeræ sunt causæ, quæ uel continuationem suadent, uel incisionem dictionum & partium. LEO. Probas'ne quorundã, meo iudicio, morosam diligentiam, qui Græcorum exemplo Latinis dictionibus asscribunt spiritus ac tonos, ac præter illorũ exemplũ, etiam porrectiõis aut correptionis notas addunt, h quoq; è literarum ordine submota, huius uice notulã superscribunt aspirandæ literæ? VRS. Superstitiosum scribendi genus audio. LEO. Non defuere tamen apud Italos, qui genus hoc inuehere moliebantur. Si pateris addam exemplum tuæ uaginæ. VRS. Vel totam occupa. LEO. Distichon sat erit.

ŏmnĭă sūnt ŏmĭnūm tĕnŭī pēndēntĭă fīlō.
ĕt sŭbĭtō cāsū quæ uălŭērĕ rŭūnt.

LEO. Quid tibi uidetur? VR. Hic illud uetus occurrit, μηδὲν ἄγαν. Primum h, iam tot seculis receptã, quid attinet tollere? Deinde signare temporũ minutias, nimis curiosum mihi uidet̃. tonos & productiones aut correptiones in his notare, in quibus causa quæpiam horratur, probo. LEO. Quot causas adferunt? VRS. Tres potissimũ, distinctionem, ambiguitatem, & necessitatem. Distinctio & ambiguitas, quarum illa uidetur habere locũ in unica dictione, altera in duabus, pluribus'ue, suadet addi notam mutati accentus, ut quũ dicimus, ponè ratem, ultimæ tonum addimus, ut ponè intelligatur esse præpositio, idem ualẽs quod

iuxta

iuxta:non imperatiuum à pono. Nam pône metum,habet priorem circumflexam. Rursus,penè rem patriam perdidit, quum aduerbium intelligi uolo,posteriori tonum addo: quum membrũ obscœnum,priorem inflecto,pêne rem perdidit. De lâbor & lábor ante dictum est. LEO. Memini. VRS. Idem licet in palàm dedit, aduerbium indicans,addo tonum in fine: si est instrumentum rusticanum,aut anuli pars, priorem inflecto. Nec eodem modo sono,quum improbum, & efferatis moribus,aio féræ similem: & quum eum qui non multum abest à forma alterius, dico ferè similem. Ad eundem modum quãtitas distinguit dictionem:cēdo,unde cecídi,longã habet & acutam:cedo unde cessi,non habet quo discernatur, nisi forte tono cêdo:sed à cĕdo, quod pro dic interdum usurpatur,nota breuitatis discernitur. At cécidi à cado,primam habet acutam:à cedo, penultimam. Item profécto participium est,profectò aduerbium affirmãtis: & uúlgo uerbum est, uulgò nomen,siue aduerbium. Cérto uerbũ,certò aduerbium. Fálso nomen,falsò aduerbiũ: úna nomen,unà aduerbium:ōs,unde oris: & ŏs,unde ossis: & ôra ab os, & óra uerbum:érgo coniũctio, & ergô nomen pro gratia, Illius ergô uenimus. Ita distinguimus raûce & spûrce nominandi casum, & raúce, spúrce aduerbium: lége uerbum à lêge nomine:uénimus & uênit præteritum,à uenimus, & uénit præsenti: & diuûm à diuũ, & deûm à déum, & numûm à númum. Huius generis

exempla sunt infinita: Necessitatis exemplum adferunt, quum dicimus intereá loci, in aduerbio transferentes tonum ab antepenultima prioris dictionis in ultimam, & proximam dictionem suo tono spoliantes, ut auditor admoneatur, intereá loci, nihil aliud ualere, quàm interea. Nam loci, festiuitatis causa adiungitur. Huius farinæ sunt, maléficus, malesânus, sicut malesuâda, ádmodũ, propémodũ, inuicem, propédiẽ, índies. Idẽ fit, quoties ex præpositione & aduerbio conflatur dictio próinde, déinde. Similiter in coniunctionibus, enímuero eténim, síquidem, quandó quidem. Nec ideo statim corripio, ue, penultimam in enimuero, si nim, præcedentem syllabã acuo. Necessitatis exemplum producũt, quum dicimus, homo probus doctúsq;, ut intelligas, q;, coniunctionem adhærere proximæ dictioni præter rationem accentuum: posteriorem syllabam acuo: & si plurium syllabarum sit dictio geminum addo tonum, ut ómniumq;. Aliter enim effero, ómnium quæ fecit rationem reddidit: aliter, patris ômniumq; cognatorum fauorem amisit. LEO. At uereor, ne quis nos ebetes stupidósq; uocet, si nõ queamus ex ipso sensu dijudicare, in, falso queritur genus humanum: falso aduerbiũ sit, an nomen, an participium. Aut in illo, Nunc scio quid sit amor: amor, nomen sit an uerbum. VRS. Sit hoc sane perspicuum mediocriter eruditis, at frequenter sic incidunt ut semidocti labantur, docti nonnihil hæsitent: an non rectũ fuerit

illorũ

illorum errorē, horum contatiunculam exiguo negotio redimere? Vulgo quantum operæ perit in adiectitijs literarum flexibus & lasciuientibus lineis? Quanto facilius est addere uirgulā, quæ ut doctis nihil officit, ita pueris & illiteratis est necessaria. Rudis enim ætatis hic negotiū agimus potissimum. His quum dictamus, ab his quum exigimus dictata, quum scripturam emēdatam exposcimus, tum hæc superuacanea uideri non possunt. Nec tamen in his mihi probatur anxia superstitiosaq; cura, præsertim ubi res agitur seria, quod non hic tātum præcepit ille scriptorum omnium diligentissimus Quintilianus, sed eum qui bene scribere nititur, curiosum non esse, sed fuisse oportet, quemadmodū, ut ait Seneca, quædam didicisse oportet non discere. Tum demum gratiam habet in arte negligentia, si successit immodicæ diligentiæ, ita ut curam remissam sentias, non omissam. Hæc nimirum est illa docta negligentia, quā Terentius mauult æmulari, quàm aliorum obscuram diligentiam. LEO. At sunt qui putant à magnis autoribus rectissime dictum, scientiam mihi seruans, usum sequor: &, sapiendum ut pauci, loquendum ut plures. VRS. Isthuc tum fortassis erat aliquid, quum sermōis ius adhuc penes populum erat, quumq; ritu foliorum cadentium uicissim ac subnascentiū noua uerba gigneret, deijceretq; quæ fuerant in honore uocabula pro suo arbitrio popularis usus. Quanq̄ nec Cicero, nec Quintilianus loquuti sunt ut plu-

res: Nec enim uulgo receptus error, uſus nomen promeretur. Nunc uero nihil rei nobis eſt cū populo: à doctis petitur omnis loquēdi ratio. LEO. A' quibus tandem, & quo ſeculo natis? VRS. Hic tibi pro me reſpondet uetus Græcorum prouerbium, ὄυτε πάντα, ὄυτε πάντη, ὄυτε παρὰ πάντων, A' Cicerone nemo negat optimum loquendi exemplar peti, nec inficiari poſſumus, eo ſeculo dicendi genus incorruptiſſimum fuiſſe, quo iam & horror ille nimium priſcę uetuſtatis abeſſet, & nondum degeneraſſet Romanæ linguæ ſynceritas. Non tamē ab uno Cicerone petam omnia, nec ſtatim quicquid illi placuit, pro optimo duxerim, ut riſſi dicere malim quàm riſi, quia ſic ille fertur ſcribere ſolitus. Nec reijciam ſi quid uetuſtiores aut recētiores porrexere melius. LEO. Nunc quibuſdam putet, quicquid in libris Cicerōis non deprehenditur. Rurſus alij, ſi quam ſcripturam in carioſa charta, aut in ſaxo uetuſtate ſemeſo, aut in nomiſmate peruetuſto reperiunt, eam uocāt in exemplum dicendi ſcribendiq́;. VRS. Equidem hoc hominum genus ridere ſoleo non odiſſe. Delectant enim nos antiquitatis ſtudio, nonnunq̃ & proſunt. Non permittam autem illis, ut è ſuis delicijs, loquendi leges nobis præſcribant. Siquidem orthographiæ ratio, nec eodem ſeculo fuit eadē apud omnes. Et tamen obſoleta loco intermixta ſuam habent gratiam, ueluti quum citamus priſcorum dicta, aut ad illa alludimus. Tum, ſi quid deſiderabitur in ſupellectile Romani ſermonis, quod

quod apud Ciceronem non reperiatur, haud uerebor ex Catone, Varrone, Pliniis, Quintiliano, Seneca, Suetonio, Quinto Curtio, Columella, sumere mutuo: Si ab his quoque destituor, superest Græcorum sacra ancora. LEO. Nihil'ne igitur petendũ ab horum temporum consuetudine? VRS. Quid ni, si quid habeat recti? Vides q̃ multa sumpserimus ex Gallorum, Germanorum, Britannorum, Italorum uulgi pronuntiatione. Et si mihi disputandum esset in scholis publicis, ineptus essem, si nihil tribuerem ibi receptæ consuetudini: Pręstat enim balbutire cũ balbis, quàm & rideri, nec intelligi. Attamen ita cedendum est consuetudini, ut medicus cedit morbo, paulatim alleuiãs, quãdo semel non potest tollere. Et nunc in scholis feruntur, quę ante annos triginta fuissent explosa: Adeo quædam facilius elabuntur, q̃ expellũtur. Quis olim tulisset in templis pronuntiantem Timótheus antepenultima acuta? Aut, κyrie eleeson, septem syllabis, & absque diphthõgo? Aut Christè sonantem pro criste? Nunc probantur etiam, non modo feruntur. Cæterum illa debet esse curarum prima, ne puer Græce Latine'ue pronuntians, ex uulgari sermone uitia trahat, quorum minimum esse ferunt apud Romanos, plurimũ apud Gallos, plus satis apud Germanos, nõnihil & apud Hispanos. Anglis in ratione pronuntiandi, secundum ipsos primam laudem tribuunt Itali. Sed quid risisti Leo? LEO. Rugire leonum est, non ridere. Dicam tamen quę res in mentem ue-

niens mihi risum excusserit. VRSVS. Narra, te quæso, ut ipse quoque tecum rideam. LEO. Dicam. Non admodum diu est, quòd me forte præsente MAXIMILIANVS Cæsar, ab aliquot oratoribus salutaretur, quod ex more magis, quàm ex animo nonnunquam fieri solet, quorum unus erat Gallus, natione Cenomanus, nomen non exprimam, ne uidear hominem notare cui bene uolo. Is orationem ab Italo quopiam, ut arbitror, compositam, nec male Latinam, adeo Gallice pronuntiauit, ut Italis aliquot eruditis, qui tum aderant, Gallice non Latine dicere crederetur. Nominare possim ex illis aliquot tibi non ignotos. Quum is perorasset, non absque incommodo: Nam in media dictione sibi exciderat, turbatus, ut coniicio, risu circumstantium: quærebatur qui ex more responderet, idque ex tempore. Nam Galli oratio præter expectationem acciderat. Protrusus est ad hoc negotij Doctor quidam aulicus. VRSVS. Vnde id liquebat? LEO. Pileum gestabat suffultum candidis pellibus. Hoc signi. Is hunc in modum orsus est, Cæsarea magestas ual de caudet fidere fos, aliaque tãto spiritu, tamque Germanice, ut nemo uulgari lingua dicẽs possit magis Germanice. Hunc maior excepit risus. Sequutus est orator Daniæ, quanquam is qui dicebat, uidebatur Scotus, mire referens eius gentis pronuntiationem. Huic oppositus est Zelandus quidã, deierasses neutrũ loqui Latine. VRS. Quid interea Cæsar, potuit'ne tenere risum? LEO. Assue-
uerat

uerat huiusmodi fabulis, nec erat ullius linguæ rudis. Verum hæc eò dico, quò tua dicta confirmem, nihil prius curandum, quàm ut puer dediscat uitia linguæ gentilitiæ. Superest, ut indices quibus id ratiõibus quàm ocyssime & quàm felicissime fieri possit. VRSVS. A psitaco licet exemplum sumere. Crebro occinitur meditanti, ac subinde exigitur quod didicit. Si indocilis est, domatur ferula, reddenti quod accepit, cibus præmij loco est. Adhibendus, qui linguam habeat emendatam, is admonitus quomodo præeat, conantem adiuuet, feliciter reddentem collaudet, relabentem in ueterem consuetudinem crebro corrigat: mensis unus totum hoc negotium absoluet. Profuerit si puer sodalibus utatur minime balbis, sed incorrupte explanateq; loquentibus. LEO. Rationem probo, nisi quod interim periculum est, ne, quoniam perpauci sunt emendate loquẽtes, post cogatur quod magno sudore didicit, maiore dediscere, itaq; fiet, ut nec Italis placeat, nec suis. VRS. Quod scholis accidit, idem eueniet omnibus cæteris: optima placebũt si non omnibus, certe quàmplurimis. Et tamen non improbarim, si cui tanta naturæ dexteritas obtigit, ut quemadmodum Polypus colorem ad loci subiecti speciem, ita rhetor uocem ad auditorum aures pro tempore accommodet. LEO. Quibus rebus fiet, ut contingat emendata pronuntiandi celeritas, præsertim in Græcis, quæ fere

gran-

grãdiores hodie discimus? VRS. Quid assequutus sim nescio, quid quomodo conatus sim aperiã. Quur enim quicquam arcani cælem talem amicum? LEO. Muto dixeris. VRS. Vt tamen aurito. Posteaquam literas, syllabas, ac dictiones Græcas satis eram meditatus, ad parãdam inoffensam celeritatem his artibus utebar. Adiunxi me quibusdam, quos existimabã castigatissime sonare, finxi me codicum duorum collatione uelle castigare librum, persuasi id utrisq; fore cõmodo: quum in hoc, ut utriusq; codex ex alterius comparatione fieret emaculatior, quemadmodũ manus manum fricat: tum ad eruditionem. Sic autem conuenit, ut alternis uicibus recitaremus & auscultaremus. Principio lẽtior erat recitatio, deinde quẽ admodum solet, incalescens paulatim lingua spõte ferebatur ad celeritatem. Si mihi cum doctiore res erat, tantum orabam, ut secus quàm oporteret sonãtem admoneret: Ipse recitãtis linguam arrectissimis auribus obseruabam, oculis in codicem fixis. Si quid esset recitatum difficilioris soni, fingebam me non satis percepisse, rogabamq; ut repeteret, quo certi⁹ eius syllabæ sonitum infigerem animo. Quum ille iam recitando defessus esset, & ad me recitandi uices redissent, illius linguam pro uiribus imitabar, reprehẽdenti gratias agebam. Si cum pari negotium esset susceptum, æquis legibus paciscebamur, ut uterq; alterũ reuocaret errãtem. Ad hoc munus interdum natione Græcũ mercede conduxi, licet alioqui parum eru-

eruditum, propter natiuum illum & patrium so
num. Tametsi doctos aliquot nactus sum, quorꝝ
pronuntiationem ego sané Græcorum quorun-
dam eloquutioni non dubitem anteponere. Huic
exercitationi datum est trimestre spatium. Nec ul
lius operæ me minus pœnituit unquã. Nec enim
simplex erat huius laboris utilitas. Exceptá siqui
dem exercitatione pronuntiandi, primum ipsa le
ctio, præterquam quód erat alacrior ac uigilan-
tior, quàm si solitaria fuisset, habebat & illud cõ-
moditatis, licebat sciscitari, si quid parum intelli-
gere͂. Nam & imperitior sæpenumero tenet, quod
doctiore͂ fugit. Et nescio quo pacto fit, ut acrius
meminerimus, quæ recitari audimus, quàm quę
taciti legimus, interdum semisomnes. LEO. Nihil
uerius. VRS. Hac arte euoluimus seu reuoluimus
potius totum Demosthene͂, totum Plutarchum,
totum Herodotum, Thucydidem, Homerum &
Lucianum. Nec his contentus, asciui mihi sodali-
tatem aliquot φιλελλήνων. Conditæ leges ne quis su
per cœnam, nisi Græce loqueretur, παρανόμῳ mul-
ta dicebat́ pecuniaria, si quis Latine dixisset absq;
ueniæ præfatione, assis: si Græce quidem, sed ine-
mendate, assis dimidium: si bis ad eundem impe
gisset lapidem, hoc est, si delaberetur in eum erro
rem, cuius antè fuisset admonit⁹, drachma. LEO.
Quomodo successit res? VRS. Initio submoleste;
ne dicam dolo, uerum pauculis diebus successit
facilitas, mox & iucunditas non sine fructu maxi
mo. His artibus hanc quantulamcunq; dicendi le
gendiq;

gendiq́ promptitudinem sum adeptus, ad quam tuendam plurimum confert alijs prælegere bonos autores. LEO. Optarim tibi fortunam exiliorem. VRS. Etiam'ne exiliorem, quum penè nulla sit? Quo meo merito mihi precaris tantum mali? LEO. Præficerem te meo leũculo. VRS. Næ tu planè, quod dici solet, boui clitellas, aut si quid est ineptius. quod si literator esse possem, habeo domi quos doceam. Verum hãc operam tibi polliceor mi Leo: Tu quod potes dispice, si quem nancisci poteris idoneum huic prouinciæ, ego uicissim circunspiciam, si quid queam: & collatis in commune nostris consilijs prospiciemus catulis nostris, ut ex hominibus nati uideri queant. LEO. Habeo gratiam Vrse, quantum possum maximam, relaturus etiã ubi ubi dabitur & opportunitas & facultas. Quàm tibi Leonis occursus fuerit felix nescio; mihi tales Vrsos optarim sæpius occurrere. Onustus tuis officijs domũ redeo. VRS. Nec ego nihil aufero bonæ sarcinæ. Par pari relatum est. LEO. vnum te uelim adiungere tam multis in me benefactis. VRS. Quódnam? LEO. Istã uaginam optarim esse meam. VRS. In quem tandẽ usum? LEO. Ne mihi excidant isti uersus tam belle picti. VRS. Quid ni? ut cum Samijs ridearis literatus miles. LEO. Ego uero sic uel literatissimus haberi cupiam; & si proficiscar in bellum, nolim ullam armorum partem esse mutam, sed & uaginam, & ensem, & capulum, & arcum, & sagittas, & lanceam, & bombardam, & galeam, & thoracem,

& bal-

& baltheum, & clypeum optarim habere literarum nonnihil, quod me alicuius bonæ rei admoneret. Sin domi sit agendum, cuperem totam undiq; loquacissimã esse, sic ut & postes, & ostia, & fenestræ, & singulæ tessellæ uitreæ, & trabes, & laquearia, & pauimenti lateres, & parietes, ad hæc & supellex uniuersa, lodices, cortinæ, aulæa, mẽsæ, sellæ, mãtilia, disci, cantari, cyathi, cochlearia, pelues, ollæ, chytropodes, aliquid loquerentur, quod expediret non obliuisci: tãtum abest, ut me puderet istius uaginæ. VRSVS. Aiunt inauspicatum esse, si quid huiusmodi rerum, quæ aduersus hostes gestantur, amicus donet amico. Hoc ominis ut uitemus, ex donatione cõmutationẽ faciamus. Da tuum ensem & accipe meum: sitq; hoc pignus inter nos initi literarij fœderis. LEO. Quod nobis utrisque nostrisq; catulis bene uertat, accipio quod offers, Musis, uti spero, bene fortunaturis.

ERASMI ROTERODAMI DE PRONUNTIATIONE DIALOGI,

FINIS.

DES. ERASMVS ROT. ORNAtissimo uiro Ioanni Vlatteno S. D.



RDVVM in primis, planeq́ regiũ munus est, uir ornatissime, prudẽtibus fidisq́ consilijs reip. prospicere, quod nimirũ intelligens Homerus, eũ, penes quẽ erat summa rerũ, βουληφόρον appellat, nec ulli præclarius de ciuitatibus ac regionibus merẽtur, quũ omni quidẽ tẽpore, tum uero præcipue hoc seculo, quo nescio quo fatali tumultu, sursum deorsum miscentur omnia, siue Christianæ religionis statũ inspicias: siue monarcharum ac rerũ publicarũ conditionem, repures, siue studiorũ ac literarũ rationẽ intueare, ut non alio tempore uerius fuerit illud Græcis celebratum, ἱερὸν ἡ βουλή. Te uero in hoc pulcherrimo negotio summa fide, mira uigilantia, pariq́; dexteritate uersantem interpellare, fortassis improbũ, aut impium etiam uideatur: sed quoniã arbitror non sine causa prẹcipere Flaccum, Misce stultitiã cõsilijs breuem: en adest ab Erasmo tibi libellus, qui suis nugis aliquantisper auocet animum tuũ à grauibus tetricisq́ negotijs. Quanq̃ hæ nugæ sunt eius generis, ut, quemadmodũ ait idẽ, Seria ducant: tantũ aũt absit, ut nihil attineãt ad remp. ut ad te quoq; peculiariter spectent, qui rei scholasticæ apud Aquisgranos summã curã suscepe tis. Multorũ enim partim ignauia, partim sinistris

moribus fit, ut bonæ literæ, quæ sat feliciter cœperãt efflorescere, iã passim uergãt ad interitum, & quasi sit hoc parũ, extitere pridẽ, q nobis ueluti nouã sectã moliunt inuehere: Ciceronianos sese uocãt, intolerabili supcilio reijciẽtes omniũ scripta, quæ Ciceronis lineamẽta nõ referũt: & adolescentiã à cęterorũ scriptorũ lectione deterritam ad unius M. Tullij superstitiosam ęmulationẽ adigunt, quũ nulli minus exprimãt Ciceronẽ, q̃ ipsi, qui se huius tituli fumo molestissime uenditant iactitantq́ʒ. Quãta uero studiorũ pernicies, si persuasum fuerit neminẽ preter unũ M. Tulliũ uel legendum esse, uel imitandũ? Subolet autẽ & aliud huius nominis prætextu geri, nimirũ ut pro Christianis reddamur Pagani, quum ego nihil prius agendũ existimẽ, q̃ ut bonæ literæ, Christi domini Deiq́ʒ nostri gloriã, ea sermõis copia, splẽdore, nitoreq́ʒ prædicent, quo M. Tullius de rebus prophanis dicere solit⁹ est. Et animaduerto iuuenes aliquot, quos nobis remittit Italia, præcipue Roma, nõnihil afflatos hoc affectu. Visus itaqʒ sum mihi rẽ facturus nec inutilẽ ad pietatẽ, & studijs adolescẽtiæ cõducibilẽ, si lucubratiũculã unam huic rei darẽ, non ut eloquẽtiæ cãdidatos à Ciceróis imitatiõe deterreã: qd em̃ insani⁹? sed ut ostẽdã q̃ pacto fieri posset, ut uere ciceronẽ exprimamus, & summã illius uiri facundiã cũ Christiana pietate copulemus. Argumentũ hoc dialogo tractauimus, q̃ simul & minus eẽt tædij lectoribus, & res facilius illaberet in affect⁹ iuuenũ. Bene uale, Basileæ postridie Idus Februarij, Anno 1528.

Des.

DES. ERASMI ROTERODAMI DIAlogus, cui titulus CICERONIANVS, siue, De optimo dicendi genere.

Personæ,

BVLEPHORVS, HYPOLOGVS, & NOSOPONVS.



VLEPHORVS. Quē uideo nobis procul in extrema porticu deambulantem? Nisi parū prospiciūt oculi, Nosoponus est uetus sodalis, & studiorum σύνζοφος. HYPOLOGVS. An hic est ille Nosoponus, olim congerronū omniū lepidissimus, rubicundulus, obesulus, Veneribus & Gratijs undiq; scatens? BV. Is ipse est. HYP. Vnde hæc noua species? Laruæ similior uidetur q̃ homini. Nū quis hominem habet morbus? BVL. Habet grauissimus. HYP. Quis obsecro? Num hydrops? BVL. Interius malū est, q̃ in cute. HYP. Num nouū hoc lepræ genus, cui uulgus hodie scabiei nomine blanditur? BVL. Et hoc interior hæc lues. HYP. Num ptysis? BVL. Penitius insedit malū q̃ in pulmone. HYP. Num phthisis aut icteris. BVL. Est quiddam iecore interius. HYP. Fortasse f bris in uenis & corde grassans. BVL. Febris est, r non febris, interius quid-

dam adurens,q̃ si febris in uenis aut corde grasse tur. Sed desine frustra diuinare,nouũ mali genus est. HYP. Nondũ igitur habet nomẽ? BVL. Apud Latinos nondũ, Græci uocant Zelodulean. HYP. Nuper accidit, an χρόνιον est malũ? BVL. Annos iã plus septẽ eo tenetur miser. Sed heus cõspecti sumus. Videtur huc gradũ flectere, melius ex ipso cognosces quid sit mali. Initio Dauũ agã: tu fac orationi subseruias, & fabulæ partẽ agas. HYP. Equidẽ id faciã sedulo, si norim quid mihi deleges. BVL. Percupio ueterem amiculũ tanto leua re malo. HYP. Etiam'ne rem medicã calles? BVL. Scis esse dementiæ genus, quod non totã mentẽ adimit, sed unã modo partẽ animi lædit, uerũ insigniter, ueluti sunt, qui sibi uidentur capite taurina gestare cornua, aut naso prælongo onusti, aut ingẽs idq; fictile portare caput exili collo innixum, mox comminuendũ, si se uel tantulũ cõmoueant: nonnulli sunt, qui, quoniã se mortuos arbitrantur, uiuorũ exhorrent cõgressum. HYP. Desine. Noui istud morbi genus. BVL. Ad his medendum non alia uia commodior, q̃ si te simules eodem teneri malo. HYP. Isthuc audiui frequenter. BVL. Id nunc fiet. HYP. Huius fabulæ nõ spectator, uerũ etiã adiutor lubens fuero. Nam homini cumprimis bene uolo. BVL. Ergo compone uultũ & sume personã, ne quid illi suboleat rem de composito geri. HYP. Fiet. BVL. Nosoponum etiã atq; etiã saluere iubeo. HYP. Et Hypologus Nosopono salutem dicit. NOS. Equidem uobis

ambobus paria uicissim precor. Sed utinã adsit quod optatis mihi. BVL. Non abesset si nobis tã esset in manu dare, q̃ est optare. Sed qd est te rogo mali? Nam ista facies ac macies nescio quid sinistri pollicentur. Apparet epatis esse uitiũ. NOS. Imò cordis uir optime. HYP. Bona uerba. Siquidem malũ immedicabile narras. BVL. Nulla'ne spes in medicis? NOS. Ab humanis præsidijs nihil est quod sperẽ. Numinis opus est ope. BVL. Atrocem morbũ narras. At cuius tandem numinis? NOS. Est diua quæ Græce dicitur πειθώ. BVL. Noui deã flexanimam. NOS. Huius amore depereo, emoriturus ne potiar. BVL. Haud mirũ Nosopone si contabescis. Noui q̃ sit res uiolenta Cupido, & quid sit esse νυμφόληπτον. Sed q̃ pridẽ te corripuit amor? NOS. Anni sunt fermè decẽ, quod hoc saxum uoluo, nec adhuc succedit. Itaq; certum est, aut immori negotio, aut assequi tandem quod amo. BVL. Tenacem pariter atq; infelicẽ amorẽ narras, qui tot annis nec elabi potuerit, nec copiã adamati fecerit. HYP. Fortassis hunc nymphæ suæ copia discruciat magis q̃ inopia. NOS. Imò inopia maceror infelix. BVL. Qui potest? Quando sic hactenus omniũ unus excelluisti dicẽdi facultate, ut pleriq; de te prædicarent, quod olim de Pericle dictũ est, suadelã in tuis sessitare labijs. NOS. Vt paucis dicã, mihi pũtet omnis eloquentia præter Ciceronianã. Hæc est illa nympha, cuius amore colliquesco. BVL. Nunc affectum intelligo tuũ. Speciosum illud & amabile Cicero-

niani cognomen ambis. NOS. Adeò, ut ni consequar, uitã mihi acerbã existimẽ. BVL. Prorsus mirari desino. Ad rẽ enim omniũ pulcherrimã animum adiecisti, sed nimiũ uerũ est quod dici solet, δύσκολα τὰ καλά. Iam tuis uotis in me ipso faueo, si quis deus propitius nos respiciat. NOS. Quid rei est? BVL. Dicã, si potes riualẽ ꝑpeti. NOS. Quorsum ista? BVL. Eiusdem nymphæ me discruciat amor. NOS. Quid audio? Teneris eadẽ cura? BVL. Vt qui maxime, & indies accrescunt flãmæ. NOS. Isto quidẽ nomine mihi charior es Bulephore, ut quẽ hactenus semper in primis dilexi, nunc etiã amare incipiã, posteaq̃ conueniunt animi. BVL. Fortasse nolles isto leuari morbo, si quis herbis, gẽmis, aut incantamentis opẽ polliceatur. NOS. Isthuc esset occidere non mederi. Aut moriendũ est, aut potiũdũ: nil mediũ est. BVL. Vt facile tuũ affectũ ex meo diuinabã. NOS. Nihil itaq; te celabo, uelut ijsdẽ mysterijs initiatũ. BVL. Tuto quidem isthuc feceris Nosopone. NOS. Me non solũ pulcherrimi cognominis splendor solicitat, uerũ etiã Italorũ quorundã procax insultatio, qui quũ nullã omnino phrasim probẽt præter Ciceronianã, summiq; probri loco ducant, negari quempiã esse Ciceronianũ, tamen huius cognominis honorẽ ab orbe condito, nemini Cisalpinorũ contigisse iactitant, præterq̃ uni Christophoro Longolio, q nuper è uiuis excessit. Cui ne uidear hoc laudis inuidere, idẽ ausim de illo prædicare, q̃d de Caluo scripsit Quintilianus, Fecit illi propera ta mors

ta mors iniuriã. HYP. Imò non tam illi q̃ optimis studijs præpropera Longolij mors fecit iniuriã. Quid enim ille non potuisset nobis in bonis literis restituere, si tali ingenio, tali industriæ iustum uitæ spatiũ addidissent superi? BVL. Verũ qd uetat, quo minus quod uni datũ est, Musis fauentibus, obtingat pluribus? NOS. Ille huic pulcherrimo facinori immortuus est, mea sententia felix. Quid enim pulchrius, quid amplius, quid magnificẽtius, q̃ Cisalpinũ hominẽ Italorũ suffragijs appellari Ciceronianũ? BVL. Gratulandũ arbitror illius felicitati, qui suo tẽpore decesserit, priusq̃ hãc gloriam aliqua nubecula offuscaret, uel ob Græcarũ literarũ studiũ, cui se dicare cœperat: uel ex Christianis autoribus oborta nebula, à quibus fortasse non satis constanter abstinuisset, si diuturnior uita cõtigisset. BVL. Sic est, ut ais, illi pulcherrimo facinori immori datũ est. At mihi spes est futurum, ut huic pulcherrimo facinori superstimus etiã, non immoriamur. NOS. Quàm faueo tuis uotis. Dispeream ni isthuc malim, q̃ in diuorum ascribi numerum. BVL. Quis enim non malit apud posteros celebrari Ciceronianus q̃ sanctus? Cæterum quando hoc amoris genus zelũ nescit, obsecro te perq; curas perq; spes, mihi tecum cõmunes, ut pariter amanti saltẽ cõsilium tuum impartias, quibus rationibus tu tuam amicam ambias. Fortasse citius pueniemus ambo, si uterq; alteri fuerit auxilio. NOSO. Musæ nesciunt inuidiam, multo minus Gratiæ, Musarum

 sodales:

sodales: studiorum socio nihil negandū est, & amicorum oportet esse communia omnia. BVL. Plane bearis me si id feceris. HYP. Quid si me quoque in uestrū contuberniū recipiatis? Sum enim iam pridem eodem œstro percitus. NOS. Recipimus. Ergo uelut eidem initiatis deo, retegā mysteria. Iam annos septem totos nihil attingo præter libros Ciceronianos, à cæteris non minore religione temperās, quàm Cartusiani temperant à carnibus. BVL. Quur isthuc? NOS. Ne quid alicunde hæreat alienæ phraseos, ac ueluti labem aspergat nitori Ciceroniani sermonis. Proinde ne quid hic peccem imprudens, quicquid est aliorum codicū, ab oculis submoui, scriniis inclusum, nec ulli prorsus est locus in mea bibliotheca, præterquam uni Ciceroni. BVL. O me negligentem, tanta religione nunquam colui Ciceronem. NOS. Non tantū in Lario Musæoque, uerum & in omnibus ostiis imaginem illius habeo belle depictā, quā & gemmis insculptam circūfero, ne unquam non obuersetur animo. Nec aliud simulacrū in somnis occurrit præterquam Ciceronis. BVL. Non miror. HYP. Ego Ciceronem inter apostolos in Calendario meo locū dedi. BVL. Deum enim eloquentiæ quondā appellabant. NOS. In huius igitur scriptis euoluendis, ac reuoluendis adeo sum assiduus, ut totū propemodū edidicerim. BVL. Industriā tuam mihi narras. NOS. Nunc accingor ad imitationē. BVL. Huic quātum temporis destinasti? NOS. Tantundem quantū lectioni. BVL. Rei tam arduæ parum

est.

est. Vtinā mihi uel septuagenario contingat tam speciosi cognominis decus. NOS. At mane: Non huic fido diligentiæ. Nulla est in omnibus diuini uiri libris uocula, quā non in Lexicon alphabeti cum digesserim. BVL. Ingens uolumen sit oportet. NOS. Duo robusti baiuli uix tergo gestēt probè clitellati. BVL. Hui. At ego uidi Lutetiæ, qui elephanto gestando sufficerent. NOS. Verū est alterum uolumen hoc etiā grādius, in quod iuxta literarū ordinem annotaui formulas loquēdi M. Tullio peculiares. BVL. Nunc demum me pudet oscitantiæ meæ pristinæ. NOS. Additū est tertiū. BVL. Hui etiam'ne tertium? NOS. Sic opus est. In hoc cōgessi pedes omnes, quibus Cicero uel incipit uel finit commata, cola, periodos, qbusq́ numeris horū media temperat, tum quibus sententijs quā modulationem accōmodet, ut ne tātillū quidem possit suffugere. BVL. Verū qui fieri potest, ut primus index tanto maior sit toto Cicerone? NOS. Disce rem, & mirari desines. Tu forte me credis hac cura contentum, ut singulas annotem dictiones. BVL. Sic opinabar. Est ne amplius? NOS. Imò isthuc plusq̄ nihil est. BVL. Qui quæso? NOS. Vide quantū aberres à scopo. Eadē uox nō semper eodē usurpatur modo. Sit exempli gratia: Refero uerbū, aliā uim habet quū ait M. Tullius, referre gratiā: aliā, quū ait, Liberi parentes & forma corporis & moribus referūt: aliā quū ait, Refero me ad intermissa studia: rursus aliā quū ait, Si quid erit quod mea referat scire:

deniq; aliam quum ait, Non ignota referam. Itē aliud eſt orare Lentulū, aliud orare cauſam. Rurſus aliter contendit, qui cum altero certat: aliter qui quid inſtanter ab aliquo petit: aliter contendit, qui magno ſtudio connititur ad aliquid efficiendū: aliter qui res duas inter ſe committit cōparatq;. HY. Papæ, iſthuc eſt ſcribere λεξικοὺς ἐλέγχους. BVL. Nunc demū intelligo & tuam uigilantiam & meam oſcitantiam. NOS. Nec ſingulas dictiones incomitatas noto, ſed quæ præcedūt ac ſequuntur. Nec ſat habeo unum aut alterum notaſſe locum, quod alij ſolent, ſed quoties quoties dictio reperitur apud Ciceronem, q̄uis conſimili forma, toties noto paginam, latus paginæ, & uerſus numerum, addito ſigno, quod indicet in medio uerſus ſit dictio, an in initio an in fine. His rebus fieri uides, ut una dictio plures occupet paginas. BVL. Deum immortalem, quid tanta non efficiat cura? NOS. Manedum Bulephore. Nihil eſt quod hactenus audiſti. BVL. Quid iſtis poteſt accedere? NOS. Quid prodeſt tenere uerbum, ſi hæreas, aut etiam labaris in deflexis, deriuatis & compoſitis? BVL. Non ſatis percipio quod dicis. NOS. Expediam. Quid tritius aut uulgatius his uerbis, amo, lego, ſcribo? BVL. Etiam'ne hæc in dubium ueniunt? NOSOPONVS. Aut his nominibus, amor, lectio, ſcriptor? BVLEPHORVS. Nihil. NOSOPONVS. At illud habeto perſuaſum, & neceſſum eſſe mihi, & opus eſſe quicunq; cōtendat ad Ciceroniani cognominis dignitatem,

tāta

tāta religione, ut nec his quamlibet uulgatis dictionibus utatur, nisi cōsulto indice: nisi forte tutum existimas fidere grāmaticis, qui uerba per omnes modos, personas, genera & tempora: nomina, pronomina & participia per omnes casus & numeros inflectunt, quum nobis fas non sit, quicq̄ horum usurpare, quod à Cicerone nō fuerit usurpatum. BVL. Dic obsecro clarius. NOSO. Amo, amas, amat, sit enim hoc exempli causa dictum, apud Ciceronē inuenio: amamus & amatis fortasse non inuenio. Itē amabā inuenio, amabatis nō inuenio. Rursus amaueras inuenio, amaras nō inuenio. Contrà amasti reperio, amauisti nequaq̄. Iam quid si legeram, legeras, legerat reperias: legeratis non reperias? si scripseram inuenias, scripseratis non inuenias? Ad eundem modum coniecta de uerborū omniū inflexionibus. De casuum inflexionibus similis est ratio, amor, amoris, amorem, amori, comperio apud Ciceronem: ô amor, hos amores, horum amorum, his amoribus, ô amores non comperio. Itē lectio, lectionis, lectioni, lectionem inuenio: lectiones, lectionibus, lectionum, has lectiones, & ô lectiones nō inuenio. Ita scriptorem & scriptores reperio, scriptor & scriptorum pro substantiuo nomine non reperio. Non obsto quo minus hæc uideantur ridicula, si uos audebitis stultitias & stultitiarum, uigilantias & uigilantiarum, speciebus & specierum, fructuum, ornatuum, cultuū, uultuum, ambitibus & ambituum, aliaq́ue huius generis innumera

fando

fando usurpare. Ex his paucis exẽpli gratia propositis æstimare potes de cæteris omnibus, quę consimilem ad modũ inflectũtur. HYP. In tenui labor. BVL. At tenuis non gloria. NOS. Succinã & ego, si quẽ Numina læua sinunt, auditq́ uocatus Apollo. Nunc de deriuatis accipe, Lego non uereor usurpare, legor nõ ausim dicere, Nasutus ausim dicere, nasutior & nasutissimus nequaq̃, Ornatus & ornatissimus, laudatus & laudatissimus intrepide dico: ornatior & laudatior nisi cõperero, dicere religio sit. Nec quia scriptor & lectio offendo apud Ciceronẽ, statim ausim dicere, scriptorculus & lectiuncula. BVL. Immensam rerũ syluã uideo. NOS. Nunc accipe de cõpositis. Amo, adamo, redamo dicã, deamo non dicã. Perspicio dicã, dispicio non itẽ. Scribo, describo, subscribo, rescribo, inscribo dicã, transscribo nõ dicam, nisi deprehendero in libris M. Tullij. BVL. Ne te plane cõmemorando defatiges Nosopone, rem non aliter q̃ in speculo uidemus. NOS. Hæc index ille minimus omniũ cõplectitur. BVL. Cameli uideo sarcinã. HYP. Et quidẽ iustã. BVL. Qua ratione fit ut in his tam uarijs non aberres? NOS. Primũ hic nihil fido nec grammaticis, nec cæteris scriptoribus quãlibet probatis, nec præceptionibus, nec regulis, nec analogijs, quæ plurimis imponunt. In elencho noto omnes singularũ uocũ inflexiones, tũ deriuationes: postremo cõpositiones. Quæ sunt apud Ciceronẽ, miniata uirgula signo: quæ non sunt, atra. Ita fieri nõ potest, ut

ut fallar unq̃. BVL. Quid si dictio sit apud Terentium aut æque probatũ autorem, notabitur atra uirgula? NOS. Nulla est exceptio. Ciceronianus non erit in cuius libris uel una dictiuncula reperiatur, quã non possit in Ciceronis lucubrationibus ostendere, totamq́ phrasim hominis non aliter q̃ adulterinũ numisma, reprobã iudicabo, in qua uel unum uerbũ resederit, quod Ciceroniani characteris nõ habeat notã, cui soli uelut eloquẽtiæ principi datũ est à superis, Romani sermonis monetã cudere. BVL. Ista lex seuerior est etiã Draconis legibus, si ob unam dictiunculã parũ Ciceronianã, totũ uolumen damnatur, q̃uis aliâs elegans ac facundũ. HYP. Atqui iustũ est. An nõ uides ob unicũ numulũ adulterinũ ingentẽ pecuniæ uim confiscari: & uno neuo quãlibet exiguo totã puellæ formã, licet aliâs egregiã detenustari? BVL. Accedo. NOS. Ex his quæ diximus si iam omnia cõijcientes satis intuemini, quanta sit huius indicis moles, cogitate quanto maior sit eius indicis, in quo formulas loquendi, tropos & schemata, gnomas, epiphonemata, lepide dicta, similesq; dictionis delicias omnes sum complexus. Rursus tertij, q numeros omnes & pedes quibus orationis partes incohat, profert, finit, continet. Nullus est enim in toto Cicerone locus, quẽ non ad certos pedes redegerim. BVL. Ista moles uel elephantẽ baiulũ desideret. HYP. Prorsus ἁμαξιαῖον onus narras. NOS. Atqui nihil mentior. BVL. Næ tu septenniũ hoc haud male collocasti. Nunc
quando

quãdo perpulchre instructus es indicibus, superest ut nobis amicus amicis, ac συμμύσαις & illud indices, quibus rationibus supellectilẽ istã præclarã ad scribendi dicendi'ue usum accõmodare soleas. NOS. Non committã ut quicq̃ per me quidem uos latuisse uideatur. Ac de scribendo dicã prius, quando uerè dictũ est, stilũ optimũ esse dicendi magistrũ. Primũ illud est: Nunquã ad scribendum accingor, nisi nocte intempesta, quum profunda quies, & altum silentium tenet omnia.
Placidum quum carpunt fessa soporem
Corpora per terras, syluæq; & sæua quierunt
Aequora, quum medio uoluuntur sydera lapsu:
Quũ tacet omĩs ager, pecudes pictæq; uolucres.
Deniq; quũ tanta rerũ omniũ tranquillitas est, ut Pythagoras si uiueret, orbiũ cœlestiũ harmoniã exaudire liqdò posset. Nam tali tẽpore dij deæq; gaudent cum puris mẽtibus miscere colloquiũ. HYP. Isto noctis tẽpore nos prophani lemurum occursus formidare solemus. NOS. At nobis Musæ dederunt & inauspicatos lemures, & malignũ spernere uulgus. BVL. At sunt noctes adeò tranquillæ, ut in his Austri Boreæq; ruinas ædiũ, ac miseranda ludant naufragia. NOS. Noui: sed ego tranquillissimas eligo. Non arbitror esse uanum quod scripsit Ouidius, Est deus in nobis, agitante calescimus illo. Si qd igitˀ diuinũ habet hominis animus, id sese profert in eo profundissimo silentio. BVL. Non me fugit, istud secretũ semper à laudatissimis uiris fuisse captatum, quoties aliquid immor-

immortalitate dignum molirentur. NOS. Habeo Museũ in intimis ædibus densis parietibus, geminis & foribus, & fenestris, rimis omnibus gypso piceq; diligẽter obturatis, ut uix interdiu lux aut sonitus ullus possit irrumpere, nisi uehementior, qualis est fœminarum rixantiũ, aut fabrorum ferrariorum. BVL. Vocũ humanarum tonitrua & officinarum strepitus non sinunt animũ sibi præsentem esse. NOS. Proinde ne in proximis quidẽ conclauibus patior quenq̃ habere cubile, ne uel dormientium uoces, ronchi'ue cogitationis secretũ interpellent. Sunt enim qui in somnis loquũtur, & nonnulli tam clare stertunt, ut procul etiã audiãtur. HY. Mihi frequenter & sorices noctu scriptu rienti negotiũ facessunt. NOS. In meis ædibus ne muscæ quidẽ locus est. BVL. Sapiẽter tu quidem atq; etiam feliciter Nosopone, si queas & animi curas obstrepẽtes excludere: quæ si nos & nocte comitantur in abditum illud, quid profecerimus captato silentio? NOS. Recte mones Bulephore. Nam intelligo tumultus istos aliis sæpe molestiores esse, q̃ uicinorum fabrorum folles aut malleos. BVL. Quid ergo? tibi nunquã obstrepunt, amor, odium, liuor, spes, metus, zelotypia? NOS. Ne te multis morer, illud semel scito Bulephore, qui amore, zelotypia, ambitione, studio pecuniæ, similibusq; tenentur morbis, eos frustra hanc ambire laudem, cuius nos sumus candidati. Res tam sacra requirit pectus, non modo purum ab omnibus uitiis, uerumetiam ab omnibus

bus curis uacuũ. Non aliter, q̃ secretiores illæ disciplinæ, Magia, Astrologia, & quã uocant Alcumisticam. Porrò leuiores illæ curæ facile cedunt intentioni tam acri, tam'q; seriæ. Quanq̃ & has, si quæ sunt, dispello, priusquã sacrum illud adeã. Nam in hoc animũ multo studio cõsuefeci meũ. Atq; hac potissimũ de causa cœlebs agere decreui, nequaquã ignarus q̃ sancta res sit coniugiũ: sed quod uitari nequit, quin uxor, liberi, affines, multã curarũ materiam secũ trahant. BVL. Sapuisti Nosopone. Nam mea coniunx, si noctu parẽ ad istũ modũ operam dare Ciceroni, perrumperet ostiũ, laceraret indices, exureret schedas Ciceronẽ meditantes, & quod his etiã est intolerabilius, dum ego do operã Ciceroni, illa uicariũ accerseret, qui ipsi pro me operã daret. Ita fieret, ut dum ego meditor euadere Cicerõi similis, illa gigneret aliquẽ Bulephoro dissimilem. NOS. Istuc quoniã scio quibusdam usu uenisse, alieno monitus periculo, mihi in tempore caui. Eodẽ cõsilio, nec ullũ munus publicũ, nec ecclesiasticã dignitatẽ suscipere uolui, ne quid ex his accederet animo solicitudinis. BVL. At ista magnis studijs ambiuntur ab alijs. NOS. Non equidem inuideo. Mihi uel consulatu, uel summi Pontificis regno potius est, tum esse, tum haberi Ciceronianũ. HYP. Qui uerè amat, præter unam amare non potest. NOS. Tum si quid huius rei paro, sub eam noctẽ à cœna tempero, leuiter etiam pransus, ne quid crassæ materiæ, liquidioris animi sedẽ inuadat:

neu

neu quã nebula é stomacho exhalãs, grauet atque affigat humo diuinæ particulã auræ. BVL. Sic affectum fuisse arbitror Hesiodũ, quũ Musę cũ ipso loquerentur. HYP. At Ennius ipse pater nunquã nisi potus ad arma prosilijt dicẽda. NOS. Et ideo scripsit uinum olentia carmina. BVL. Et satur est, quũ dicit Oratius, ohe. NOS. Quid agat furor poëticus, nihil ad nos, Ciceronianum esse sobria res est. HYP. Me cerebrum destituit, si quãdo ieiuno. NOS. Non plane ieiuniũ est. Sumo decem acinos uuæ passæ minutulæ, quã Corinthiacã uocant. Hic neque cibus est, neque potus, & tamen utrunque est. BVL. Intelligo. Leniter humectãt, conferũtque cerebro ac memoriæ. NOS. Addo tria coriandri grana saccaro incrustata. BVL. Optime, ne quid uaporis ex decẽ illis acinis prouolet in mentis sedẽ. NOS. Neque uero quibuslibet noctibus abutor ad hanc operam. BVL. Non? Eas excepisti, quibus sęuit Auster aut Boreas. Fortassis hybernas fugis ob noctis rigorem. NOS. Hoc incommodi facile depellit focus luculẽtus. HYP. At interim obstrepit fumus & materię crepitus. NO. Acapnis utor. BVL. Quas igitur noctes deligis? NOS. Paucæ sunt felices huic sane negotio: proinde prosperas deligo. BVL. Vnde quæso? NOS. Ex astrologia. BVL. Quũ te plusque totũ possideat Cicero, qui fuit otiũ astrologiæ perdiscendæ? NOS. Indicẽ mihi mercatus sum ab huius artis peritissimo. Huius cõsilio rem gero. HYP. Audio multos indicibus istiusmodi fuisse delusos, quoties scriptor errauit in nu-

mero. NOS. Exploratum ac ſpectatum emi. BVL. Deũ immortalẽ, iſtuc eſt ſcribere, nec iam miror Hypologe, ſi noſtra ſunt incondita rudiaq́;. Verũ ad iſtum compoſito modũ, utra cogitatio prior, de rebus, an de uerbis? NOS. Vtraq; prior, & utraq; poſterior. BVL. Aenigma dediſti, non reſpõſum. NO. At explicabo nodũ. In genere de rebus prior eſt cogitatio, in ſpecie poſterior. BVL. Nondũ ſatis liquet quid uelis. NOS. Exemplo faciã perſpicuũ. Statui ſcribere Titio, ſic fingite, ut q̃ primũ curet ad me remittendos codices, quos illi commodato dederam, ſi noſtram amicitiam uelit eſſe incolumem. Nam incidiſſe quiddã, ut illis mihi uehementer ſit opus. Id ſi fecerit, nihil eſſe in rebus meis, quod non ſuũ ducere poſſit. Sin minus, me ueteris amicitiæ teſſerã illi remittere, ac ſimultatẽ denuntiare. Hæc prima cogitatio nimirum de re, ſed in genere. BVL. Intelligo. NOS. Huic ilico ſuccedit uerborũ cura. Euoluo q̃ plurimas Ciceronis epiſtolas: elenchos meos omnes conſulo: ſeligo uoces aliquot inſigniter Cicerõianas, deinde tropos, formulas: tum numeros. Demum affatim inſtructus huiuſmodi ſupellectile, diſpicio quos floſculos quibus locis poſſim inſerere. Mox ad ſententiarũ curã redeo. Hoc enim iã artis eſt, ſenſus ad hæc uerborũ ornamenta inuenire. HYP. Haud aliter q̃ ſi quis egregius artifex, ueſtẽ præclaram apparet, ad hæc monilium, anulorum & gemmarum uim, mox ceream affingat ſtatuã, cui hęc accõmodet ornamẽta, uel potius

quam ad ipsa conflectat ornamenta. BVL. Quid ni? Verum age Nosopone. Num tota nox uni datur epistolæ? NOS. Quid mihi narras unã? Musis pulchre uideor litasse, si periodum unicam absoluerit nox hyberna. BVL. Ita'ne de re tã non magna, tam prolixas scribis literas? NOS. Imò perbreues, ne sis insciens, ut quæ sextam periodũ non excedant. BVL. Quin igitur sex noctes sufficiũt his absoluendis? NOS. Quasi satis sit scripsisse semel. Decies refingendũ quod scripseris: decies ad indicẽ exigendum, ne qua forte dictiuncula te fefellerit adulterina. Rursus altera superest examinatio de tropis ac formulis, postrema de numeris & compositione. BVL. Hoc nimirũ est opus absoluere. NOS. Ne id quidem satis ô bone. Dehinc quod elaboratum est cura, quanta potest maxima, seponendum est in aliquot dies, ut ex interuallo, refrigerato iam inuentionis amore, uelut aliena legas, quæ tua sunt. Hic demũ grauis agitur censura: Hoc seuerum, incorruptum, &, ut Græci uocant, ἀδέκαστον iudiciũ, ubi q̃ scripsit ex parente fit Areopagites. Hic sæpenumero fit, ut uerso stilo, nihil relinquas. BVL. Omnino sic fiunt accuratæ literæ, sed interim ille fruitur codicibus abs te desideratis. NOS. Isthuc incommodi malim perpeti q̃ aliquid à me proficisci, quod nõ sit Ciceronianũ. Ducitur suo quisq; iudicio. Ego malim multum scribere q̃ multa. BVL. Scribendi rationem habemus. Ad dicendum qua meditatione te paras? NOS. Prima cautio est, ne cui loquar latine, quod

queã effugere. BVL. Ne latine? Atqui dicendo fieri prædicant, ut bene dicamus. Nouũ autẽ exercitationis genus, si silendo discimus loqui. NOS. Dicẽdo fit ut dicamus expedite: ut Ciceroniano more, nequaq̃. Qui se parãt equestri certamini, generosos equos à cursu prohibent, quo ad seriã rem integris uiribus ueniant. Nec uenator prius demit lorũ generoso cani, q̃ uisa est fera. Ad garriendum de quibuslibet nugis, sufficit mihi sermo Gallicus, aut Batauicus: prophanis ac uulgarib⁹ fabulis non cõtamino sacrã linguã. Quod si qua res urget, ut latine dicendũ sit, & pauca loquor, nec sine præmeditatione. Et in eum usum habeo paratas aliquot formulas. BVL. Quas dicis formulas? NOS. Velut si sit salutandus, aut resalutandus amicus eruditus, qui forte factus est obuius, aut uicissim laudandus qui te laudarit, aut si gratulandum ex longinqua peregrinatione reduci, siue ex ægrotatione graui rediuiuo, aut agendæ gratiæ qui præstitit officiũ, aut bene precandũ ei qui nuper duxit uxorẽ, aut deplorãdus casus, cui periit uxor. Ad hæc & huiusmodi, formulis instructus sum, ex Cicerone decerptis atq; cõcinnatis: eas edidici quo possim uti uelut ex tẽpore. Porrò si quis casus inciderit, ut uitari non queat quin in longũ proferatur sermo, multa lectione diluo quod cõtractũ est labiis. Neq; enim me fugit, hoc ipso colloquio, quod uobiscũ nunc habẽtur, quantũ flagitiorũ admittã, quantũ detrimẽti capiã ad id quod molior, Ad sarciendũ uix menstrua

ſtrua ſuffecerit lectio. BVL. Quid ſi detur ſpatiũ meditatiõi? NOS. Tum quod fuerit ijs, quas dixi, ratiõibus elucubratũ, ediſco, quoq; ſit memoria certior, ſubinde mecũ recito: ita fit, ut quũ res poſcit, ueluti de ſcripto pronunciẽ. BVL. Quid ſi qua neceſſitas exigeret extemporalẽ orationẽ? NOS. Qui poteſt incidere, qui nihil ago publicũ? Et ſi quã functionẽ publicã obirẽ, non ſum melior Demoſthene, qui nunq̃ uoluit niſi meditatus aſſurgere, quãlibet populi uocibus efflagitatus. Nec mihi pudẽdũ ducerẽ, quod in oratorũ apud Græcos principe laudatur: nec me pœniteat cõuicij, ſi quis dicat mea τὸν λύχνον ὀζειν. BVL. Equidem & propoſitũ tuũ admiror, & animi fortitudinẽ ſuſpicio Noſopone, ſupra q̃ dici poſſit: inuiderem etiã, ſi uel in hoc genere ſtudiorũ, uel inter tã coniunctos amicos & ſodales tanta peſtis incidere poſſet. Cæterũ quoniã arduũ eſt quod expetim⁹, & uia non modo longa ac perdifficilis, uerũ etiã anceps. Si periculũ proprie tuũ eſſet, tamen arbitrarer hoc eſſe neceſſitudinis noſtræ, neq; uulgaris, neq; recentis, liberis conſilijs amico proſpicere, ne tot curas, tot uigilias cũ ualetudinis ac rei familiaris diſpendio fruſtra ſuſciperet, ſuſceptas urgeret: ne'ue, quod in rebus humanis nimiũ frequẽter accidere uidemus, pro theſauro diu multumq; quæſito tandẽ reperiret carbones. Nunc uero quũ pari cupidine ducamur omnẽs, eiuſdẽq; nymphæ teneamur amore, Nam & Hypologus eiuſdem eſt animi: tuę quoq; fuerit humanitatis,

& si quid admonemus, boni consulere, & si quid habes melius, libenter amicis cōmunicare. NOS. Aequissimū Bulephore postulas: proinde nec te grauatim audiam, nec maligne si quid cōsulere queam in mediū conferā. BVL. Primū illud mihi tecum conuenit, opinor, ei qui dicendi scribendi'ue laudē affectat, cognitis ante diligenter'q; perceptis artis præceptionibus, ex multis laudatis scriptoribus optimū quempiā esse seligēdū quē imitetur, & ad quē exprimendum se componat. NOS. Maxime. BVL. Neminē autē esse, duntaxat apud Latinos, qui pluribus eloquētiæ uirtutibus excellat q̄ M. Tullius, de quo iure optimo prædicatum est, quod de Apelle, in quē unū conflatū erat, quicquid in cæteris pictoribus erat eximiū ac singulare. NOS. Quis isthuc neget? BVL. Dabis ueniā Nosopone, si crassius rusticius'q; collegero, dialectices rudis. NOSO. Inter amicos decet omnia boni consulere. Quanquàm & alioqui mihi satis argute colligit, qui uere colligit. BVL. Age, quid igitur sentis de Zeuside Heracleota? NOSO. Quid aliud, quàm quod excellentissimo graphices artifice dignum est. BVL. Num & ingenio iudicio'q; ualuisse putas? NOS. Qui potuit ars tanta carere iudicio? BVL. Commode respondes. Quid igitur illi ueniebat in mentē, quod, quū Crotoniatis picturus Helenæ simulacrum, in quo decreuerat quicqd artis suæ uiribus posset, explicare, & absolutum formæ muliebris (nam in hoc argumento ceteris antecelluisse legitur) exemplar
uiuæ

uiuæ simillimum ædere, in quo nulla uenustatis portio desiderari ualeret: non unam quampiam omniū pulcherrimam adhibuit, sed ex omnibus oblatis, aliquot cęteris præstantiores elegerit, ut ex singulis decerperet quod in quaq; decentissimum esset: itaq; demum admirādum illud artis suæ monumentum absoluerit? NOS. Diligentissimi pictoris officio functus est. BVLE. Vide igitur num recto consilio ducamur, qui eloquentiæ simulacrum ab uno Cicerone, quamuis præstantissimo, petēdum arbitramur. NOS. Si tali forma uirginē Zeusis esset nactus, qualis est in eloquentia M. Tullius, fortassis unius corporis exemplo fuisset contentus. BVL. Atqui hoc ipsum quo pacto iudicare potuisset, nisi multis corporibus diligenter inspectis? NOS. Finge persuasum fuisse. BVLEPHORVS. In hac igitur es sententia, nullam in aliis oratoribus esse uirtutem imitatu dignam, quæ non eximia sit in Marco Tullio? NOSOPONVS. Ita censeo. BVLEPHORVS. Nec ullū in hoc esse neuū, qui nō maior sit in cæteris? NO. Ita prorsus. BVL. Non hic proferam M. Brutum, qui totum hoc dicendi genus, quod Ciceroni uisum est optimū, improbauit: quumq; status ac diuisionis propositiones, uelut causæ totius columnæ, præcipua sit orationis pars, in oratione pro Milone, quā adeò suspiciunt oēs, Brutus nō probauit primariū ac secūdariū causæ statū adhibitū à M. Tullio, sed eandē causam aliter tractauit. Nō obiiciā Pōponiū Atticū cui⁹ unguiculos

ac miniatulas cerulas se metuere scribit Cicero, quibus ille notare solitus est, quæ in M. Tullij scriptis offendebant. Non M. Catonē, qui Ciceronē quū sibi maxime festiuus uideretur, ridiculū appellauit. Hactenus & uiros graues, & amicos Ciceronis recensui. Hic si adijciā Gallū, Lartiū, Liciniū, Cestiū, Caluū, Asiniū, si Celiū ac Senecā, si cōplures alios, qui quū de Ciceronis ingenio non satis magnifice senserunt, tum orationis genus damnarūt, alijs illū appellantibus aridū, ieiunū, exuccū, exanguē, elumbē ac dissolutū, mollē ac parꝝ uirꝝ: rursus alijs tumidū, Asiaticū, ac superfluis redundantē: respondebis hæc esse uel inimicorū uel inuidorꝝ iudicia, qui iam triūuirali proscriptione deiecti, famā etiā moliti sunt, si minus extinguere, certe obscurare. NOS. Recte diuinas. Nam isthuc plane respōsurus erā, & optimo iure respondendū arbitror. BVL. Tribuātur sane hæc iudicia uel odio uel liuori. Certe fateberis, opinor, cū eruditis omnibus, facetiā seu risum esse partē artis rhetoricæ. NOS. Alioquin quorsum opus erat ab oratoribus tam multa de hoc præcipi? BVL. Nemo negat Ciceronē in iocando fuisse multū, alij nimiū prædicant, tum intempestiuū, & scurrilitati proximū. Certe modū illi defuisse, queādmodū Demostheni facultatē, doctorꝝ ferè consensus fuit: nec admodū repugnat Quintilianus, culpā in Tyronē conferens, qui nimium indulserit numero dictorꝝ, ac plus in congerendis studij, q̄ in eligendis iudicij adhibuerit. Verꝝ hæc

Tyronis accuſatio in patronum recidit. Sed hæc utcũq; habent, quis unq̃ in hoc genere laudis primas tribuit M. Tullio? Lacedæmoniorum peculiaris hæc erat laus, & ſecundum hos Atticorum. Adeò ut quũ poœma bucolicũ & comœdia lepôre facetiaq; potiſſimum commẽdet, ad hanc Venerem Latini ne aſpirauerint quidẽ. Eſt igitur aliqua uirtus oratoris, quæ rectius petatur ab alijs q̃ à Cicerone. NOS. Nos de Latinis agimus. BVL. Age, Audebimus'ne Ciceronis iocos cum C. Cæſaris, aut cum Octauij Cæſaris dictis cõferre? NOS. Vix auſim quod adhuc nemo doctorum auſus eſt. BVLE. Itaq; ſi res feſtiuitatẽ deſideret, non mihi fas erit aliquid ex Octauij dictis effingere? NOS. Non, ſi uelis haberi Ciceronianus. BVLE. Rurſus abs te quæro, num ſententias ponas inter ornamẽta dictionis. NOS. Gemmæ ſunt & lumina, tantũ abeſt, ut ſubmoueã ab arte. BVL. Hic appello tuũ iudiciũ, an in hoc genere laudis Cicero cęteris omnibus antecellat. NOS. Non me clàm eſt, quod Seneca Publium Mimographũ in hac laude præfert omnibus. Verum non protinus oraculum eſt, quod Senecæ uiſum eſt, qui ipſe in ſententijs immodicus eſt, & qbuſdã friuolis indulget. HYP. Et iſtud Quintiliani, & A. Gellij iudicium rejci poterat, quod uterq; uideatur inuiſum habuiſſe Senecã, alter ob æmulationẽ, alter ob ingenij dictionis'q; ſimilitudinẽ. BV. At idẽ Gellius, q̃uis parum æquus, fatetur inter Senecæ ſententias eſſe, quibus nihil melius dici poterat. Nec fieri poteſt, ut omnes

æque felices sint, ubi sermo totus sententijs contextus est. Verum ex his facilius inuenias quod imiteris, q̃ ex alijs, in quibus nec crebrę sunt, nec insignes. Agedum. Nónne res interdũ exigit breuitatem? N O S. Fortassis. B V. Huius exemplũ utrũ rectius petes à Salustio, Bruto'ue, an à Cicerone? N O S. Cicero breuitatem non affectauit. B V L. In Demosthene laudatur uis orationis, hoc est, neruosum quiddã ac naturale: ab utro hoc rectius petemus? N O S. De Latinis agebamus. B V L. Verũ hæc sunt omniũ linguarũ cõmunia. Rursum res interdum postulat seueritatẽ, huius exemplũ rectius'ne petemus à Cicerõe, an à Bruto & Pollione? H Y P. Vt pro hoc respondeam: ab his qui hac nota fuerunt insignes. B V L. Vbi negotiũ inuolutum partitionibus explicandum est, utrum à Cicerone petemus, an ab Hortensio, aut si quis Hortensio similis? N O. Quid petemus ab eo, cuius prę ter memoriã nihil extat? B V L. Verum disputandi gratia fingamus extare. N O S. Nihil opus fingere, ueris ac notis agamus. B V L. Nemo non fatetũ fidem in oratore præcipuã esse. Eam cõciliat probitatis & grauitatis opinio, eleuat artis aut intẽperantiæ suspicio. Habeatur sanè Cicero uir bonus, quod uix illi Fabius, licet impendio fauens, audet tribuere: sed, q̃d dissimulari non potest, artẽ magis ostentat, de se plura gloriose cõmemorat, licentius in alios inuehitur q̃ Cato, Brutus, aut Celius, cui sanctitatẽ tribuit Quintilianus. Harum itaq; rerũ exemplũ nónne rectius petemus
ab

ab Ariſtide, Phocyone, Catone, Bruto, q̃ à Cicerone? NOS. Videris huc ueniſſe meditatus Ciceronis uituperationẽ. BVL. Minime gentiũ ô Noſopone. Si ſermonis exitũ patienter expectaris, intelliges & Ciceronis & noſtrã agi cauſam: Ciceronis, ne forte perperã illũ exprimẽtes, gloriam eius obſcuremus, quemadmodũ ſolent imperiti pictores eos traducere, quorũ effigiẽ ſecus q̃ oportet expreſſerunt: Noſtrã, ne male collocemus amores noſtros, ac ridiculum quiddam, nec minus infelix uſu ueniat nobis, q̃ quod obtigiſſe dicitur Ixioni, qui pro adamata Iunone, nubis inane ſimulacrum cõplexus eſt: aut Paridi, qui pro rapta Helena decẽ annis bellũ geſſit, quum interim mendax Helenæ ſimulacrũ amplecteretur, nimirum ipſa procul in Aegyptũ deorum artificio ſublata. Quid enim nobis infelicius, aut magis ridiculum, ſi tot laboribus nihil aliud, quàm inanem ac fallacem Ciceronis umbram aſſequi contingeret? NO. Iſthuc omen auertãt ſuperi. BV. Auertant inquam. Et hoc agimus, ne quid ſimile eueniat. NOS. Nonnihil & iſtud cõducit ad imitationem Ciceronis, ut q̃ optime ſentiamus de Cicerone. BVL. Nouus candor, ſi melius ſentiamus de Cicerone, q̃ ipſe ſenſit de ſeipſo. Verum tribuatur hoc illius modeſtię, ſi parcius de ſe. Quis unq̃ ueterum ſic admiratus eſt Ciceronem, ut ab uno petenda putarit omnia dictionis ornamẽta? NOSO. At hodie ſunt quàmplurimi, quos hæc habet opinio. BVLE. Nihil moror quàmplurimos: cor-

datum

datum ac uerè doctũ reor esse neminẽ. Cui mortaliũ hactenus sic indulsit natura, uel in una quąpiã disciplina, ut unus in singulis eius partibus excelleret omnes, ut non aliquid reliquerit in eo desiderandum, aut ita dederit, ut non ab aliјs superaretur? Quanto id incredibilius in dicendi facultate, quæ disciplinis propemodum omnibus constat, quæ tot alias res desiderat, quas nemo præceptis tradere possit. Fingamus hodie Ciceronẽ uiuere, & esse quendã Trachalo simillimũ, utrũ malles à Cicerone uocis moderationẽ petere, an à Trachalo? Opinor ab eo, q hac parte præfertur omnibus. Pudoris ac modestiæ specimen utrũ malles à Crasso, si uiueret, petere, q̃ à Cicerone? Et ne de singulis commemorẽ, nonne sumeres à singulis, in quo cæteris antestarent? HYPO. Quis non eligeret potiora, nisi qui uel non diјudicaret, uel sibi inuideret? BVL. Itaq; mihi probatur Zeusidis exemplũ, quod sequutus etiã Quintilianus, imitatori præcipit, nec unũ esse legendum, nec omnes, nec quoslibet, sed ex præcipuis deligendos aliquot eximios, inter quos Ciceroni primas tribuit, non solitudinẽ. Summum enim esse uult inter proceres, nõ solitariũ exclusis cæteris. NOS. Si Quintiliani consiliјs auscultabimus, idẽ nobis usu ueniet, quod euenit ipsi. BVL. Quid nã? NOS. Vt parũ euadamus Ciceroniani. Nobis alius propositus est scopus. BVL. An parũ erit Ciceronianũ, cui quicq̃ accesserit, quod à Cicerone petitum non fuerit? NOS. Sic autumant. BVL. Etiãsi

melius

melius fuerit quod ab alio petitur, aut ne sit quidem illud apud Ciceronē? NOS. Quid ni? BVL. Sed interim illud mihi cogites uelim optime Nosopone, quāta pars Cicerōianorū uoluminū interciderit, & in his diuinū illud opus De rep. cuius fragmentū nescio quo fato seruatū, nihil aliud q̄ desiderio reliquorū uoluminū discruciat animos nostros, quę cuiusmodi fuerint, hinc licet æstimare, leonē, ut aiunt, ex unguibus. Ne quid interim cō memorem de tot epistolarū libris, de tot orationibus iniuria temporū interceptis, de tribus uoluminibus, quibus Tyro libertus iocos & scite dicta Ciceronis complexus esse legitur, deq; cæterorum huius uiri scriptorū naufragio. Qui potes igitur absolutus esse Ciceronianus, qui tam multa illius non legeris? Adde quod Cicero non tractauit omnes materias, de quibus si forte dicendum fuerit, unde tandē petemus orationis supellectilē? An proficiscemur in campos Elysios, ab ipso percunctaturi, quibus uerbis ille talia fuerit dicturus? NOS. Ea dūtaxat tractabo, quæ possint uerbis Tullianis explicari. BVL. Quid? An non iudicas Ciceronē oratorū præstantissimū? NOS. Plusq̄ præstantissimū. BVL. Quid Apellē? nonne pictorū optimū? NOS. Aiunt, & credo. BVL. An eū Apelleū appellares, qui non posset quarūlibet rerum imagines effingere, sed tantū eas quas ante pinxisset Apelles? Atq; adeò qui nō omnes tabulas Apellis manu depictas conspexisset? HYPO. Quis istud diceret, nisi si cui placet ille pictor, in

quē

quē iocatur Oratius, qui dato pretio conductus ad pingendum naufragium, pinxit cupressum, & indignatum conductorē rogauit, ecquid uellet appingi prominens è cupresso. BVL. Quid aliud est esse Ciceronianū, q̄ illi simillimum esse? NOS. Nihil aliud. BVL. An ille similis uidetur Ciceroni, qui nō potest nisi de certis materijs dicere? NOS. Perge. BVL. Mihi ne oratoris quidē titulo dignus haberet. Si Cicero quauis de re potuit optime dicere, is mihi Ciceronianus erit, qui quacunq; de re ualeat præclare dicere: quemadmodum Apelli simillimus erit, qui & deorū & hominum, & animantium, & omniū deniq; rerū formas penicillo suo poterit adumbrare. NOS. Equidē pulchrius esse duco tres epistolas scribere phrasi Ciceroniana, q̄ centū uolumina stilo q̄libet expolito, modo à Ciceroniano discrepante. BVL. Verū Nosopone si isthæc sententia sederit animo nostro, uereor futurū, ut non solū non euadamus Ciceroniani, sed ipsi etiā Ciceroni, anoi uideamur. quæso illud mihi bona fide respondeas, totū Ciceronem exprimendum censes, an mutilū? NOS. Et totum quātus est, & solū. BVL. Qui totum, qui se totum nō expressit? Rursus ea parte qua se nobis conspicuum fecit, mutilus est ac uix dimidiatus? Adde quod in his ipsis quæ extant, aliquādo sibi non satis fecit. Siquidē De inuentione libros, substituto oratore, ueluti damnauit. Et orationē pro Deiotaro munus leuidense uocat. Ad hæc in his quæ scripsit tantum, non etiam recognouit,

uit,ipse Cicero non est Ciceronianus,cuiusmodi sunt libri De legibus, præter alia multa. Qui fiet igitur,ut totũ quantus est æmulemur, quem & mutilum habemus & truncũ, & in nonnullis indolatum ac sui dissimilem? Nisi forte probaturus es illum,qui inchoatas Apellis tabulas,aut rudes Lysippi statuas imitans speret se alterum Apellẽ aut Lysippum euasurũ. Id si conspiceret Apelles ipse, quem ferunt ingenio candido liberoq́ fuisse,nonne clamaret,Quid facis κακόζηλε. Isthic non est Apelles. Iam si quis sibi proposuisset insignẽ Lysippi statuã effingendam,cui rubigo uitiasset mentum & os,aut ei parti non imposuisset summam manum, grauaretur eius partis exemplũ ab alio quopiã artifice sumere,an potius haberet illud, ut est corruptũ & imperfectũ,æmulari, ne recedat ab exemplo cui semet addixit, q̃ ex alterius artificis signo quod deest supplere? NOS. Vt possumus,aiunt,quando ut uolumus non licet. BVL. Alijs Nosopone rectius istud uerbũ usurpabitur,qui quod in Cicerõe deminutũ est, ex alijs scriptoribus sarciunt, Mallent eñ ex uno omnia, uel quia promptius est, uel quia nullus illo dixit felicius, Verũ quando id non est datũ,ex alijs mutuantur. Quid quod Ciceronem habemus non modo truncũ ac lacerũ, uerum etiam ita deprauatũ,ut si reuiuisceret,ipse,opinor, nec agnosceret sua scripta,nec restituere posset, q̃ librariorũ ac semidoctorum audacia, incuria, inscitiaq́ corrupta sunt,quod malũ Teutõibus potissimũ

impu-

imputat Politianus, quibus ut hic patrocinari nolim, ita puto nihilo minus inuectum mēdarū ab audacibus quibusdā ac sciolis Italis. Vt ne cōmemorem interim suppositicia, falsóq́ titulo Ciceronem autorē mentiētia. Quo de genere sunt libri rhetorici quatuor ad Herennium, hominis haud quaq̄ indocti, Sunt & inter orationes, quæ non à Cicerone scriptæ, sed alio quopiam erudito exercendæ dictionis gratia confictæ uident̄. Adiecta est nuper oratio pro M. Valerio, quæ solœcismis scatebat, tantum abest, ut Ciceroniana dici possit. Nec desunt qui Portij Latronis declamationē in Catilinā pro Ciceroniana legant oratione. Proinde si deuotis animis nos unius Ciceronis imitationi dediderimus, citra delectum expressuri quicquid apud illū compererimus, nonne nosmet in summū cōiecerimus discrimen, ne quū diu multumq́ nosipsos torserimus, tandem Goticas uoces, aut Teutonū solœcismos pro Ciceronianis flosculis amplectamur æmulemurq́?
NOS. Istud malum auertant Musæ. BVL. Vereor ne Musis dormitantibus id nobis frequenter eueniat Nosopone. Nec enim semel, lusum hunc uidimus. Fragmentū è Cicerōe decerptū addito Germani cuiuspiam titulo, q̄ deridebant: quoties barbarum inclamabant, qui sibi ualde Ciceroniani uidebantur. Rursus aliquid pridie cōfictū proferebatur in mediū, addebatur Ciceronis nomen, & fingebatur exemplar repertū in bibliotheca peruetusta. Q̄ exosculabantur, q̄ adorabant di-
uinam

uinã illã, & inimitabilẽ Ciceronis phrasim? Quid quod eruditi non negant in Ciceronis scriptis inueniri soloecismos inexcusabiles, quales & olim exciderunt & excidunt hodie uiris eruditis, dum in uarie distracta cogitatione, magis sententiæ præcedentis meminerunt, q̃ uerborum, eoq; fit, ut periodi clausula prioribus nõ respondeat. Quod genus sit, Diutius commorãs Athenis, quoniam uenti negabant soluendi facultatẽ, erat animus ad te scribere: Initio uersabatur in animo uolebã, aut statueram, post magis arrisit, in animo erat, quæ uoces eundem efficiunt sensum, sed parum congruunt ijs quæ præcesserant. Quin A. Gellius lib. vi. cap. xv. profert locũ ex II lib. Ciceronis de gloria, in q̃ manifesto lapsus est, uersus aliquot Homericos ex Iliados. η tribuens Aiaci, quũ ibi dicantur ab Hectore. An id quoq; conabimur æmulari? Id profecto faciendum, si totũ exprimemus. Ad hæc obseruatũ memoriæq; proditũ est, Ciceronem dixisse quædã quę nemo doctus putauit imitanda, ueluti quũ ait, in potestatẽ esse, pro, in potestate esse. Ac sanè fieri potest, ut illud tem, pro te, fecerit in autugrapho, calami fluxus, aut alius quispiã casus, aut in alijs exẽplaribus librarius oscitans induxerit. Rursus in ædicto M. Antonij, M. Tullius ueluti barbarã & Latinis inauditam uocẽ proscindit, pijssimus à pio, quũ ea apud probatissimos latinæ linguæ scriptores reperiatur. Idẽ ut soloecon in eo reprehendit, quod scripsisset, facere contumeliã, quẽadmodũ dicimus

Latine, facere iniuriã, quum apud Terentiũ, optĩmum, ni fallor, elegantiæ Romanæ autorẽ ita loquatur Thais, Nam si ego digna hac contumelia sim maxime, at tu indignus qui faceres tamen: opinor enim tacite repeti contumeliã. Idẽ ab his uocibus nouissime & nouissimus, ceu male Latinis abstinuit, quum eis non ueriti sint uti M. Cato & Salustius. Qua religione M. Tulliũ A. Gellius testatur usum & in alijs multis dictionibus, quibus autores bene Latini, & ante illũ & post illum frequenter usi sunt. Fertur & geminũ ss, scripsisse, quoties antecedebat longa uocalis, uelut in caussa, uisse, remissi, pro causa, uise, remisi. Num igitur totum Ciceronẽ imitantes abstinebimus ab his quæ contra doctissimorũ hominum sententiam uni Ciceroni nõ placuerũt, aut ea sequemur quæ nulli docti uoluerunt imitari, ac nec excusare potuerunt? HYP. Isthuc quidẽ amantiũ est, etiã neuos earum quas amant exosculari. BVL. Age si totus erit exprimendus, num illius exemplo Musis & Apolline nullo scribemus uersus? NOS. Carmẽ excipio. BVL. Næ tu bonam eruditionis partem excipis, dum carmen excipis. Cæterũ quid uetat quo minus utamur hac exceptione & in his uirtutibus, in quibus ab alijs superatur Cicero, quẽadmodũ in hoc toto genere multis est inferior, ne dicã omnibus. Quàmmultos uersus admiscet scriptis suis, ex Homero, Sophocle & Euripide parũ feliciter uersos, præter Græcorũ exẽplũ in iambicis eam usurpans libertatẽ, quã sibi Latini co-

moe-

mœdiarũ ſcriptores pmiſerũt. Tu ſi qd ſimile uoles facere, nũ uereberis ea felicius, ſi poſſis, ac minore licẽtia uertere, ne ſis parũ Ciceroni ſimilis? An non dehoneſtat orationẽ ſolutã, qui uerſiculos, quos uertẽdo facit ſuos, parũ reliquæ dictioni congruentes admiſcet? Tum quoniã identidẽ ille ſuis libris aſpergit uerſus Ennianos, Neuianos, Pacuuianos & Lucilianos, horridã illã & inconditam antiquitatẽ reſipientes: tibi religio erit ſimiles, imò diſſimiles uerſus ex Virgilio, Oratio, Ouidio, Lucano, Perſio'ue proferre, quorũ lucubratiões, ut minus horroris, ita plus habent tum elegantiæ, tum eruditiõis? An hic metues uideri M. Tullio diſſimilis? NOS. Certe nonnihil receſſerimus ab eo, quẽ modis omnibus exprimere conamur. BVL. At quid eſt neceſſe ſemper ac modis omnibus eſſe ſimilẽ, quũ ſæpe potius ſit eſſe parẽ, & interdũ facilius ſit ſuperare q̃ æquare, hoc eſt, meliora ſcribere, q̃ ſimilia. NOS. Meliora Ciceronianis ne Muſas quidẽ ipſas dicturas opinor. HYP. Fortaſſe poſſent, ſi neruos intenderent, & noctu incœnatæ ſcriberent ad lucernulã. BVLE. Ne quæſo cõmoueare Noſopone, ſemel ſtipulatus ſum impune dicendi quæ uiderẽtur poteſtatem. Si quis ſit uſq; adeò deditus addictus'q; Ciceroni, quemadmodũ nos hactenus ſumus, an nõ periculũ ſit, ne cæcus amore, uel pro uirtutibus admiretur uitia, uel ſciens ipſa quoq; uitia effingat? NOS ἡράκλεις, in Cicerone uitia? BVLE. Nulla, niſi forte ſolœciſmus uitium eſt apud alios, apud

Ciceronem non est, At solœcismos, ut diximus, eruditi commonstrant in libris M. Tullij. Nisi labi memoria uitiũ non est, & hoc commonstratum est à doctis. Si uitiũ non est immoderata mentione propriarũ laudũ etiã illũ grauare cui patrocinaris, quod in Milonis defensione factũ testatur Asconius Pædianus, & uix usquã non submolestus est hoc affectu Cicero, non sine causa, ut eleganter inqt Seneca, sed sine fine gloriãs. Et haud scio utra re sit intemperantior, de se gloriando, an alios insectando. Quocunq; colore defenderimus hæc, illud inficiari non poterimus, hac duntaxat in parte rectius exemplũ ab alijs peti posse. NOS. Missum faciamus sermonẽ de moribus, de uiribus ac uirtutibus eloquendi nobis instituta est disputatio. BVL. Ego uero lubens missum fecero, nisi rhetores ipsi contenderent, bonũ oratorem esse non posse, qui nõ sit idem uir bonus. Verum age, num tibi uidetur esse uitiosa cõpositio, si dictio sequẽs incipiat ab ijsdem syllabis, in quas desiit præcedens, uelut Echûs imaginẽ ludicram referens. Quod genus si dicas, ne mihi dona donata, ne uoces referas feras, ne mihi per imperitos scribas scribas. NOS. Fateor ineptã & absurdam cõpositionẽ. BVL. Atqui talẽ proferunt ex amasio nostro Cicerone: O fortunatã natam me consule Romã. NOS. Iam semel carmen excepi. BV. Per me licebit, modo simul excipias illud, totũ Ciceronẽ. Sed nondũ elapsus es. En tibi nihilo meliorẽ compositionẽ ex oratiõe soluta refert

Quin-

Quintilianus. Res mihi inuisæ uisæ sunt Brute. Aut si malis Ciceroniano sonare more, inuissæ uissę sunt. Ne quid calumnier interim de duobus molossis in clausula. NOS. Istuc excidit in epistola familiari. BVL. Nihil repugno, tantũ quæro nũ existimes imitandũ? Certe fateris aliquid posse dici melius. NOS. Nescio. BVL. Quid hic memorẽ de uocaliũ crebra collisiõe, quæ reddit hiulcam & inamœnã orationẽ? An non hoc quoq; notatũ est à doctis in Cicerone? Neglexit, inquies, nihil reclamo, modò fateamur quiddam esse, quod apud alios aut non sit, aut sit melius. Rursus ex te quærã, ecquẽ nouisti scriptorẽ tam uigilantem, tamq; felicem, ut non alicubi dormitarit? NOS. Quid ni? homines erant. BVL. Inter homines igitur numeras Ciceronẽ? NOS. Interdũ. BVL. Vtrũ igitur putes esse consultius, imitari dormitantẽ Tulliũ, an uigilantẽ Salustiũ, aut Brutũ, aut Cæsarem? HYP. Quis non mallet uigilantẽ exprimere? BVL. An non sic Homerũ imitatus est Virgilius, ut multa correxerit, nonnulla reliquerit? Nonne sic Hesiodũ, ut nusq̃ non uicerit? Nonne sic Oratius est Lyricos æmulatus, ut ex unoquoq; decerpens, quod esset bellissimũ, omnes post se reliquerit? Ego, inquit, apis Matinæ More, modóq; Grata carpentis thyma per laborẽ Plurimũ, circa nemus, uuidíq; Tiburis ripas, operosa paruus Carmina fingo. An non sic imitatus est Luciliũ, ut quædã in illo sciens prætermiserit, ab alijs sumpturus quod imitatiõe dignius esset? Quid alios

commemorẽ? num ipse M. Tullius tam admirabi lem eloquentiam ex uno quopiã contraxit? An potius excussis Græcorũ pariter ac Latinorũ phi losophis, historicis, rhetoribus, comicis, tragicis, lyricis: demũ ex omni scriptorũ omnium genere suã illã diuinã phrasim collegit, contexuit, absol uit? Si modis omnibus libet imitari Ciceronem, & hoc illius exemplũ imitemur. HYP. Non absur de mihi Nosopone loqui uidetur Bulephorus. BVL. Quid? an non hoc ipse docuit Cicero, caput artis esse dissimulare artẽ? Friget enim, & fide caret, ac uelut insidiosa timetur oratio, quæ significatio nem artis dedit. Quis enim ab eo non metuat, q fucũ & uim parat animis nostris? Itaq; si feliciter Ciceronẽ imitari uolumus, dissimulanda cũ pri mis est ipsa Ciceronis imitatio. At qui nusquam discedit ab illius lineamentis, q uerba, figuras, nu meros ex illo cõcinnat, quædã imitans etiã non imitãda: ueluti quidã Platonis discipuli, adductis humeris præceptorẽ referebant: Aristotelis audi tores subbalbũ quiddã in loquendo, quod in eo fuisse legitur, reddebant: quoniã manifesto præ se fert imitandi studiũ, cui uidebitur ex animo lo qui, aut quid laudis assequetur deniq;? Nimirũ id quod assequuntur hi qui scribunt centones. Dele ctant fortassis, sed paulisper, sed otiosos dunta xat. Cæterũ nec docent, nec mouent, nec persua dẽt. Summa laus est, probe tenet Virgiliũ, multo sudore cõcinnauit emblemata. NOS. Quo magis elucebit imitatio, hoc magis habebor Ciceronia

nus

nus. Hęc est uotorum summa BVL. Recte dicis, si facundiã ostentationi paramus, non usui. Verũ plurimum interest inter histrionẽ & oratorẽ. Illi delectasse satis est: hic etiã prodesse studet, si modo uir bonus est. Quod si nõ est, nec oratoris nomẽ tueri poterit. Iam demonstrauimus opinor in Cicerone quædã esse uitãda, quædã in eo desiderari, quædã sic adesse, ut in his ab alĳs hac parte felicioribus superetur. Sed donemus nullũ esse uirtutũ aut ornamentorum genus, in quo non sit cæteris uel par uel superior: certe in alĳs alia magis eminent ob raritatẽ, quæ in M. Tullio ornamentorum densitate uelut obscurantur: perinde quasi si certas stellas notare uelis, facilius id facies si raræ luceant, q̃ si tota cœli pars pariter insignibus obsita sit. Itidẽ si uestẽ cõspicias totã gemmis obtectam, minus te capient singulæ. NOS. Qui totũ imbibit Ciceronẽ, non potest aliud q̃ Ciceronem exprimere. BVL. Eodẽ reuoluimur. Fatebor eloquentem, qui Ciceronẽ feliciter expresserit: sed qui totũ, exceptis uitĳs: & ne sim iniquior, unà cũ ipsis uitĳs, modo totũ. Feremus illud subinane, feremus mentum leua demulceri, feremus & collũ oblongũ atq; exilius, feremus perpetuam uocis contentionẽ, feremus indecorã parũq; uiri lẽ in initio dicendi trepidationẽ, feremus iocorũ intẽperãtiã: & si qua sunt alia, in q̃bus M. Tullius uel sibi, uel alĳs displicuit, modo simul & illa exprimãt, q̃bus ista uel texit ille, uel pẽsauit. N. Vtinã id mihi cõtingat ante supremũ uitæ diẽ. BV. Istuc

ut contingat nunc agimus Nosopone. At uide q̃ multa q̃ paucis cõplectitur, qui totũ dicit Ciceronẽ. Sed ô Musæ, quantulã Ciceronis portionẽ nobis referũt isti Ciceronis simij, qui uocculis, formulis, tropis, & clausulis aliquot, hinc atq; hinc ceu corrogatis summã modo cutẽ, seu bracteã potius Ciceronis nobis exhibent. Sic olim Atticum dicendi genus quidã æmulabantur, quũ interim essent aridi, ieiuni, frigidiq́;, semper, ut ait ille, manũ intra palliũ habentes, nec subtilitatẽ, nec sanitatẽ, nec gratiã Atticorum ulla ex parte possent assequi. Optimo iure Quintilianus irridet quosdã, qui se germanos Cicerõis haberi uolebant, quod aliquoties his uocibus absoluerent clausulã, esse uideatur, quod eã semel atq; iterum Ciceroni forsitan excidit, si periodũ longiore ambitu circũduxissent, quod in initijs presertim nõ nunq̃ fecit ille. Nec hodie paꝝ multi sunt istorũ similes, qui sese ualde mirãtur, & alteros, ut aiũt, Cicerones esse credũt, si prima uox orationis sit, quanq̃, aut, & si, animaduerti, aut quũ, aut si, q̃d officiorum libros sic ordiatur M. Tullius, Quanq̃ te Marce fili, periodũ uix nono uersu absoluens. Et pro lege Manilia, Quanq̃ mihi semper. Laudatissimam illã pro Milone orationẽ sic auspicatus est, Et si uereor iudices. Rursus Philippicaꝝ duodecimã, Etsi minime decere uidetur. Item pro C. Rabirio, Etsi Quirites. Et epistolis aliquot simile est initiũ. Et haud scio an isti libros ad Herenniũ ob id tribuant Ciceroni, quod ab & si, capiat exordium.

ordium.Porrò De finibus bonorum librum quintũ sic incipit,Quũ audiuissem Antiochũ Brute. Tusculanas quæstiones sic auspicatur, Quũ defensionum laboribus.Et eiusdẽ operis quartũ librum, Quũ multis in locis nostrorũ hominũ ingenia. Pro L.Flacco,Quũ in maximis periculis. Itẽ pro domo sua ad Pontifices, Quum multa diuinitus. Iterũ pro Plantio,Quũ propter egregiã. Ad hæc librũ de natura deorum primũ, Quũ multæ res in philosophia.Et Scipionis somnium,Quũ multæ res in Africa.Pro Rabirio dicens sic orditur, Animaduerti iudices. Rursus ad Brutũ de paradoxis Stoicorum, Animaduerti Brute.Pro L.Cornelio Balbo sic orditur,Si autoritas patronorum. Pro P. Sestio, Si quis antea iudices.ProCecinna,Si quantũ in agro.Pro Archia poëta,Si quid est in me ingenij.In Vatiniũ testẽ,Si tua tantũmodo Vatini. Ad equites iturus in exiliũ, Si quando inimicorum. Ad senatũ post reditũ,Si P.C.uestris. Pro M. Cælio,Si quis iudices. De prouincijs consularibus,Si quis uestrũ P. C.Quid aũt magis ridiculũ,acCiceroni dissimilius esse possit,q̃ nihil habere Ciceronis præter tales uoculas in orationis exordio? de quibus si quis percontetur Ciceronẽ, quur ab ijs uocibus sit orsus,respõdebit,opinor,quod in insulis fortunatis Luciano respondit Homerus, roganti quur primã Iliadis dictionem uoluerit esse μῆνιν, nã hæc quæstio multis seculis torserat grãmaticos,illud,inquit, tum forte uenit in mẽtem. Consimilis impudentiæ sunt, qui sibi plusquàm

Ciceroniani uidentur quod aliquoties infulciāt, etiam atq; etiā pro uehementer, & maiorē in modum pro ualde, identidē pro subinde, quū & tum quoties inæqualis momenti sunt quæ connectimus, tum & tū quoties æqualis, tuorū in me meritorū, Quid quæris, pro in summa, aut breuiter, Non solū peto, uerū etiā oro contēdoq;, Ante hac dilexisse tantū, nunc etiā amare mihi uideor, Valetudinē tuam cura, & me ut facis ama, Non ille quidem uir malus, sed parū diligens: qua loquutionis formula sic M. Tullius uidetur delectatus, ut in eadē pagina crebro repetitā inuenias. Simile est, quū per illud, pronomen indicat nō quod præcessit, sed quod mox sequitur. Et in epistolis fortassis semel atq; iterū dixit, cogitabā in Tusculanum: itaq; Ciceronianus sibi uidetur, qui subinde dixerit, Romā cogitabā, pro eo quod erat, in animo habebā, siue statuerā proficisci Romam. M. Tullius anni numerum non adscribit epistolis, sed tantum mensis diem, Et Ciceronianus nō erit, si quis à Christi natali annū ascripserit, quod sæpe necessariū est, semper utile? Iidem nō ferūt, si quis honoris gratia nomē eius, ad quē scribat, suo præferat, Quod genus sit, Carolo Cæsari Codrus Vrceus salutē. Par flagitiū existimant, si qd dignitatis, aut laudis addas proprio nomini, uelut, Inclyto Pannoniæ Boœmiæq; regi Ferdinando Velius S. D. Nec Plinio Iuniori possunt ignoscere, quod suum appellat, si quando scribit amico, quum eius facti nullū apud Ciceronē extet exemplum

exemplum. Vt parũ Tullianus reijcietur, qui, q̃d exemplũ à principum officijs mutuati docti quidam nuper usurpare cœperunt, summã eius epistolæ, cui respondere parat in initio proponat, quod id nusq̃ factum sit à M. Tullio. Noui quosdã notatos ut solœcos, quod in salutatione pro S. D. posuerint S.P.D. Id est, salutẽ plurimã dicit, quod negarẽt hoc apud Ciceronem inueniri. Nonnulli uero putant & illud Tullianum esse, salutationem non in fronte, sed in tergo literarum ponere, quod his uerbis admoneretur Lator, quas q̃bus deberet reddere non sine salutatiõis officio. Quantula res facit, ut ab hac palma decidamus. Multo uero minus erit Ciceronianus, qui salutarit hac formula, Hilarius Berthulphus Leuino Panagatho totius hominis salutẽ, aut salutẽ perpetuam. Verũ hic quoq; longius aberit à Ciceroniano, qui sic orsus fuerit epistolã, Gratia, pax & misericordia à deo patre & dño IESV CHRISTO. Item qui pro, cura ut recte ualeas, ita claudat epistolam, Sospitet te dominus Iesus: aut, incolumẽ te seruet dominus totius salutis autor. Quos risus, quos cachinnos hic tollẽt Ciceroniani? Quid autẽ admissum est piaculi? An non uerba Latina sunt, munda, sonantia, atq; etiam splendida? Iam si sensum introspicias, quanto plus est hic quàm in, salutem dicit, & bene uale. Quid uulgarius quàm dicere salutem? Præstat hoc officium herus seruo, inimicus inimico. Quis autẽ crederet esse Latinum, dicit illi salutem, & iubet illum salueres

uere.

uere, nisi nobis sermonẽ hunc ueterum cõsuetu-
do commendaret? Hoc in aditu. Iam in digressu,
uale, dicimus & his quibus male precamur. Quã
to melior emphasis in formulis Christianorum,
si modo uere & ex animo simus Christiani. Gra-
tia declarat gratuitã condonationẽ admissorũ:
pax quietẽ & gaudiũ conscientiæ, quod deũ pro
irato habemus propitiũ: misericordia dotes uari
as & corporis & animi, quibus suos locupletat ar
cani spiritus benignitas, quoq; magis speremus
nobis hæc fore perpetua, additur à deo patre &
domino nostro IESV CHRISTO. Quum patrẽ
audis, ponis seruilẽ trepidationẽ, ascitus in affe
ctum filij: quũ dominũ audis, confirmaris aduer
sus uires satanæ. Non deseret ille quod tam care
redemit, & unus potẽtior est uniuersis satanæ co
hortibus. Quid suauius his uerbis ei, q iam hæc
apud se sentit: quid utilius hac admonitione ei, q
nondũ in hunc affectum transiit? Verbis itaq; nõ
uincimur, imò uincimus potius: sententia longe
superamus. Restat illud decorũ & aptum quod
ubiq; cum primis spectandũ est. At hæc quanto
magis conueniunt homini Christiano, q̃ illa, sa-
lutẽ dicit, & cura ut ualeas. Tantum facessat illa
puerilis imaginatio, non sic loquutus est Cicero.
Quid miri, si non sic loquutus est, quũ rem igno-
rarit? Quot milia sunt rerum, de quibus nobis fre
quenter dicendũ est, de quibus M. Tullius ne so-
mniauit quidẽ? At si uiueret nobiscũ eadẽ loque-
retur. An non igitur frigidi uidentur imitatores,
qui

qui talium rerum obseruatiunculis referunt M. Tullium, ac dissimulatis tot diuinis uiri uirtutibus, numeris, tropis, formulis ac dictiunculis ea imitantur, quę M. Tullio uel placuerunt, uel crebrius exciderunt. Hæc ad te quidem nihil attinent Nosopone, sed tamen, quoniã incidit ut de Ciceronis imitatoribus loqueremur, & hæc commemorare non ab re uisum est. Hoc hominũ genus, & nobis, & ipsi Cicerõi pariter inuisum esse debet: Nobis, qui uere Ciceronẽ conamur exprimere, quia per istos uocamur in iocum & fabulã, dũ ex illorum æstimamur stultitia: Cicerõi, qui per tales, ut ante diximus, imitatores non aliter infamatur, q̃ bonus pręceptor per malos discipulos, probus uir per improbos liberos, formosa mulier per imperitũ pictorẽ. Quẽadmodũ autẽ nulli magis se iactant ac uenditant de præceptorũ ac maiorum nomine, q̃ indocti discipuli & improbi filij, aliunde captantes uirtutis opinionem, quum suis bonis eam conciliare non queãt: ita nulli gestiunt insolentius nomine Ciceronis, q̃ qui Cicerõi sunt dissimillimi. Noui medicos insigniter artis quã profitebãtur imperitos, qui quo quæstũ facerent uberiorẽ, celebris alicuius medici, quẽ uix uiderant, se discipulos iactitabant, rogatique quur præter artẽ hoc aut illud ministrarẽt ægrotis, conuicio respondere solent, Num tu illo doctior? Hunc præceptorẽ sequor. Atqui illius quẽ nominabant pene nihil imitabantur, præter uitanda potius q̃ æmulanda: puta si forte celebris

ille, fuit in respondendo consultoribus difficilior aut morosior, uel in exigenda mercede durior. Quo tandem animo credis egregiū illū medicū esse erga tales discipulos? HYP. Haud dubiū quin pessimo, nisi prorsus nullā habet existimationis suæ rationem. BV. Quo'nam reliquos eiusdē medici ueros ac germanos discipulos? HYP. Aeque malo, quod apud uulgus tales habentur discipuli, qualē experiuntur illū gloriosum impostorē. BVL. An non audimus patresfamiliâs obiurgantes male moratos filios, Vos me redditis infamē & inuisum ciuib9 meis, uos obscuratis imagines maiorꝝ, pudet me talium liberorū: si pergitis, abdicabo uos? Nonne ad consimilē modum audimus interdū fratrem indignari fratri, quod illius improbis moribus detrimentū opinionis suæ capiat? Hoc animo probabile est Ciceronem esse in istos ridiculos simios, hoc animo nos esse decet, qui illius γνήσια τέκνα studemus haberi. NOS. In re tam præclara nōnihil est uel umbrā assequi. BV. Sit hoc aliquid, qbus satis est umbras uocari Ciceronis: ego nec Apollinis umbrā dici me cupiā. Malim enim esse uiuus Crassus, quàm umbraticus Cicero. Verum ut quod instituimus peragamus, fac esse qui totum Ciceronem in uerbis, figuris & numeris exprimat, quod ipsum tamen an multi possint nescio, quantulū is habebit Ciceronis? Sit hoc in imitando Cicerone, quod Zeusis fuit in effigiando corpore muliebri. Expressit lineamenta, colorē, ætatē, &, ut summum artificium

ficium præstiterit, affectus nonnihil, hoc est, dolentis, gaudentis, irati, metuentis, attenti, aut dormitantis. Hæc qui præstitit, nonne quicquid ars potest absoluit? Quantū licuit, uiuā hominis speciem in mutū simulacrū transtulit. Nec aliud exigi potest à pictore. Agnoscis formā eius quæ depicta est, uides ætatē & affectus, fortassis & ualetudinē, adde, quod à quibusdā effectū legimus: agnoscit indolē & mores & uitæ spatiū physiognomus. Sed immane quantum illic abest hominis? Quod ex summa cute conijci potest, expressum est. Cæterū quū homo constet ex anima & corpore, quantulū illic est partis, eiusq; deterioris? Vbi cerebrū, ubi caro, ubi uænæ, ubi nerui & ossa, ubi intestina, ubi sanguis, spiritus & phlegma, ubi uita, ubi motus, ubi sensus, ubi uox & sermo, deniq; ubi q̄ sunt hominis propria, mens, ingenium, memoria, consiliū? Quēadmodū quæ sunt hominis pręcipua, pictori sunt inimitabilia, ita summas oratoris uirtutes nulla assequitur affectatio, sed à nobis ipsis sumamus oportet. Verū à pictore nihil aliud exigitur, si præstitit quod unū ars profitetur: à nobis, si totū Ciceronē exprimere uolumus, multo aliud requirit. Si nostrū simulacrū, quo M. Tulliū effingimus, careat uita, actu, affectu, neruis & ossibus, qd erit imitatiōe nostra frigidius? Sed multo magis erit ridiculū, si tuberibus, neuis, cicatricibus, aliáue mēbri deformitate demū efficiamus, ut lector agnoscat nos legisse Ciceronē. HY. Isti⁹ generis pictor qdā nuper

risui

risui nobis fuit: Susceperat effingendũ ad uiuam formã Murium sodalẽ nostrũ: quũq; uerã hominis formã reddere non posset, circũspectabat si quid haberet in corpore seu uestitu notabile. Aestate cœperat, iamq; magna ex parte tabulã absoluerat, pinxerat anulũ quẽ gestabat, pinxerat crumenã & cingulũ, tum pileũ capitis diligẽter expressit. Animaduertit illi in leuę manus indice esse cicatricẽ, eã expressit accurate. Tum in dextra, qua manus peninsula brachio cõmittitur, tuber insigne, nec hoc prætermisit. Rursus in super cilio dextro pilos aliquot in diuersum flexos red didit. Itẽ in bucca leua cicatricem effinxit, uulneris uestigiũ. Vbi reuersus, nam crebro redibat ad exemplar, uidisset barbam demessam, effinxit nouũ mentum: rursus ubi barbam aliquantulũ prouenisse, quia magis id placebat, mutauit illi mentum. Interim oborta est Murio febricula, ea, ut solet recedẽs, in labiũ erupat, pictor expressit pustulã. Tandẽ uenit hyems, sumptũ est aliud pileum, mutauit picturã: sumpta est uestis hyberna pellibus subducta, pinxit nouã uestem. Rigor mutarat colorẽ, & cutẽ, ut solet, contraxerat, mutauit totã cutẽ: inciderat pituita, quę sinistrũ oculum uitiarat, & nasum, dum frequenter emungitur, reddiderat & aliquanto maiorẽ, & multo rubicundiorem, pinxit illi nouũ oculũ & nasum nouum. Si quando uidisset impexum, exprimebat capillorũ inæqualitatẽ, rursum si pexũ, cõponebat capillitiũ: forte dormitabat Murius dum pin

geretur, expressit dormitantem: sumpserat pharmacum hortatu medici, ea res addidit aliquid seniꝭ: mutauit faciẽ. Si uerã ac natiuã hominis formã potuisset exprimere, non confugisset ad hęc πάρεργα. Itaq; si ad istum modũ imitemur Ciceronem, nonne merito clamet in nos Oratius, O imitatores seruum pecus, ut mihi sæpe Risum, sæpe iocum uestri mouere tumultus? Sed finge nos feliciter expressisse Ciceronẽ quicq́d hominis exprimere potest absolut⁹ pictor, ubi pectus illud Ciceronis, ubi rerũ tam copiosa, tam felix inuentio, ubi dispositiõis ratio, ubi propositionũ excogitatio, ubi consilium in tractandis argumentis, ubi uis in mouendis affectibus, ubi iucũditas in delectando, ubi tam felix ac prompta memoria, ubi tantaꝝ reꝝ cognitio, deniq; ubi mens illa spirans etiamnum in scriptis, ubi genius ille peculiarem & arcanam adferens energiã? Hæc si absint, q̃ erit frigidũ imitationis nostræ simulacrũ. NO. Ista diserte tu quidẽ Bulephore, sed quorsum spectant, nisi ut adolescentes ab effingendo Cicerone deterreas? BVL. Bona uerba Nosopone, Quin potius eò spectant hæc omnia, ut contẽpto simioꝝ quorundã inepto tumultu, Ciceronẽ, quatenus licet, & totũ, & feliciter imitemur. NOS. Hic sanè rem eandẽ agimus. BVL. Id ni fiat dextre, futurum est ut sedulo quidẽ, sed paꝝ feliciter æmulando, Ciceronis dissimillimi reddamur. Nihil enim periculosius esse scito, q̃ affectare Ciceronis imaginẽ. Male cessit gigantibus affectasse sedem

Iouis. Nonnullis exitiũ attulit euocasse deos. Periculosæ plenũ opus aleę est, diuinã illã & humana natura superiorẽ exprimere linguã. Cicero nasci fortassis potest aliquis, fieri nemo. NO. Quid nũc agis? BVL. Quia uirtutes illius ut summæ sunt, ita uitijs sunt proximæ. Porrò fieri non potest quin imitatio defluat ab eo, quod sequi tantũ, nõ etiã uincere studet. Proinde quo impensius affectas illius simulacrũ, hoc uitio propior es. NOS. Non satis intelligo quod dicas. BVL. Efficiã ut intelligas. Nonne medici corporis optimã ualetudinẽ prædicant periculosissimã, quod aduersæ ualetudini sit proxima? NOS. Audiui. Quid tum postea? BVL. Sũma monarchia nonne tyrannidi proxima est? NOS. Aiunt. BVL. Et tamen summa monarchia nihil est melius, si absit tyrannis. Et summa liberalitas nõne uicina est profusionis uitio? Et summa seueritas an non affinis est truculẽtię? NOS. Sanè. BVL. Et summa festiuitas urbanitasq́ꝫ, nónne ad scurrilitatis ac leuitatis accedit uiciniã? NOS. Define commemorare cætera, finge me de singulis esse confessum. BVL. Prius audies illud Oratianũ, breuis esse laboro, Obscurus fio, sectãtem lenia, nerui Deficiũt, animiq́ꝫ, professus grandia turget. Ita qui affectant Atticismũ, pro argutis ac uenustis fiunt aridi: qui genus Rhodiense, dissoluti: qui Asiaticũ, tumidi. Laudata est in Salustio compositionis breuitas. nonne si quis hãc superstitiose conetur æmulari, periculum sit ne concisus & abruptus euadat? NOS. Fortasse. BVL.

Prædi-

Prædicatus eſt in Demoſthene uerborũ & argumentorũ modus,cui nihil poſſis detrahere. NOS. Ita cenſuit Quintilianus.BVL. Ad hãc laudẽ æmulandã,ſi quis ſe cõponat anxie,quo Demoſthenicus uideatur,periculo uicin⁹ eſt, ne minus dicat q̃ oportet. Applauditur Iſocratis ſtructuræ numerisq́ꝫ.Huc qui uehementer annitatur, in periculũ ueniet, ne ſuperſtitione compoſitionis ſit moleſtus,& artificij iactatione fidem amittat.Senecæ laudata eſt copia.Huius incautus ac ſedul⁹ æmulator periclitatur, ne redundans & immodicus euadat pro copioſo. Bruti grauitatẽ ſi æmuleris anxiæ,fortaſſis triſtis & aſper euades. Laudatur Criſpi iucunditas: Huius æmulator ueniet in diſcrimen,ne pro iucũdo fiat ineptus aut leuis. Noui qui quũ mirabilẽ illam Ouidij facilitatẽ conarentur exprimere, uerſus effutirent, & neruis & ſpiritu carentes. Et ne ſingulos commemorando tibi fiam moleſtus,dicam in genere quod reſtat. In quibuſdam eminet argumentandi ſubtilitas. Hanc qui uehementer affectat, periclitatur, ne uel frigidus,uel obſcurus euadat. In alijs admiramur felicem artis neglectum.Hoc qui contendit effingere,fortaſſis in uulgare dicendi uel potius garriendi genus incidet. In alio dilucet ſumma artis obſeruatio.Id qui nitatur exprimere,incidet in ſcenicum quoddam dicendi genus. Atticæ frugalitati proxima eſt exilitas: copioſo uerborum fluxui uicina eſt loquacitas. Summam in mouendis affectibus dinoſin, excipit inſaniæ

ſpecies, ut granditatem faſtus, aſſeuerandi fiduciam, improbitas. NOS. Confeſſa prædicas. BVL. Ex his uero ſunt quædã quæ ſic eminent in autoribus, ut pro uitijs habenda ſint, niſi iunctis uirtutibus penſarentur: quẽadmodũ in Seneca compoſitionis abruptũ, & ſententiarũ immodicã denſitatem multæ uirtutes excuſant, ut præceptorũ ſanctitas, uerborũ ac rerũ ſplendor, ac iucunditas orationis. Nec Iſocratis laudaretur cõpoſitio, niſi perſpicuitas dictionis & ſententiarũ grauitas illi patrocinaretur. NOS. Nihil adhuc audio falſi: cæterum quorſum hæc tendant nondũ uideo. BVL. Nimirũ huc. Quũ in uno Cicerõe tam multa ſint huiuſmodi, periculoſa mihi uidetur illius ſuperſtitioſa & addicta æmulatio, quando uirtutes q̃bus iſta uel commendauit, uel texit, æmulari nõ poſſumus. NOS. Quæ nam iſta dicis? BVL. Tam fluidũ eſt illi dictionis genus, ut remiſſus ac ſolutus alicubi uideri queat: tam exuberans uerborũ copia, ut redundans: tam artis obſeruans, ut declamatori q̃ oratori propior, fidei iactura captãs artificij gloriã: tam liber in inſectando, ut maledicus haberi poſſit: tam effuſus in iocos, ut Catoni cõſuli riſum mouerit: tam blandus alicubi, ut abiectus: tam cõpoſitus, ut ſeuerioribus ingenijs mollis ac parũ uir dictus ſit. Hæc ut fateamur in Cicerone uitia non eſſe, propter inſignẽ illam naturæ felicitatem, quã decent quæ facit omnia: ut etiam uirtutes ſint, ſic tamẽ ſunt, ut ob uiciniã non careãt ſpecie uitiorũ ſub iniquo iudice, reprehenſionẽ

hensionem omnē eximijs ac plurimis uirtutibus pensauit, ut omniū iudicio calumniator & impudens habeatur, qui conetur aliquid in huius oratione reprehendere: uerū has uirtutes non studemus exprimere, &, si Fabio credimus, sunt inimitabiles, nec ab exēplo prçceptis'ue peti possunt, sed à Minerua. Hæ uero si absint, qualis erit eorū, quæ commemorauimus, imitatio? Colligimus igitur, nullius imitationē esse periculosiorē, q̄ Ciceronis: nō tantū eo nomine quod summus orator & extra omnē ingeniorū aleā positus est (q̄ titulo Flaccus ab æmulatione Pindari deterret, Icari exēplo) uerū etiā quod pleraq; in illo sic summa sunt, ut uitijs sint proxima. Hic nimirū præcipitij discrimen. NOS. At prius conueniebat inter nos, quæ maxime eminent ad imitationē esse accommodatissima, quo uidelicet, ut nonnihil decidas ab eo quod effingere studes, tamen laudē auferas rectæ dictionis. BVL. Aliud est eadē reddere, aliud similia, aliud imitari præscriptū, aliud seruire, nec aliud q̄ sequi. Deniq; defluit ab exemplo, qui non reddit & illa, quæ reprehensionem excludunt. NOS. Nihil me terret periculū, modo tandē hoc laudis assequi liceat, ut dicar Ciceronianus. BVL. Hæc omnia si contēnis, est alius scrupus, qui magis urget animū meum, si non grauaberis audire. NOS Vtere pactis arbitratu tuo. BV. An censes ullum eloquentis nomen promereri, qui non dicat apte? NOS. Nequaq̄, quandoquidē hæc præcipua uirtus est oratoris, apposite dice-

re. BVL. Verum illud appositum, unde perpenditur, nonne partim à rebus, de quibus uerba fiũt: partim à personis, tum dicentiũ, tum audientiũ: partim à loco, tẽpore, reliquisq; circũstantijs? NO. Maxime. BV. Ciceronianũ autẽ nõne p̃stantẽ oratorẽ esse uis? NOS. Quid ni? BVL. Itaq; non erit Ciceronianus, si quis in theatro disserat de Stoicorꝝ paradoxis, deq; Chrysippeis argutijs: aut apud Areopagitas in capitis discrimine lasciuiat facetijs: aut de re culinaria, uerbis ac figuris tragicorum loquat̃. NOS. Iste nihilo minus ridiculus erit orator, q̃ si quis in tragico cultu saltet Atellanas: aut feli, q̃d est in prouerbijs, inducat Crocoton, simiæ purpurã, Bacchũ aut Sardanapalũ leonis exuuio, & claua exornet Herculis. Nihil enim laudis meretur, q̃libet per se magnificũ, si sit ineptũ. BVL. Et commode respondes & uere. Ergo Cicero qui suo seculo dixit optime, non optime dixisset si ætate Catonis Censorij, Scipionis aut Ennij simili modo fuisset loquutus. NOS. Non tulissent aures cõptum illud & numerosum dictionis genus, nimirꝝ horridioribus assuetæ. Nam istorum oratio moribus illorꝝ temporꝝ congruebat. BVL. Dicis igitur orationẽ quasi uestẽ esse rerꝝ? NOS. Aio, nisi mauis picturã dici. BV. Vestis igitur quæ decora est puero, non decet senẽ: nec quæ fœminæ congruit cõueniret uiro: nec quæ decet in nuptijs, deceret in funere: nec quę laudi dabat̃ olim ante annos centum, nunc probaretur. NOS. Imò sibilis omnibus & risu omniũ exciperetur. Con-
tem

templare in picturis nō admodum uetustis, fortassis ante annis sexaginta æditis, cultū mulierculaꝝ aulicaꝝ ac proceꝝ, quo si quis nunc prodeat in publicum, futurū sit ut putribus malis à pueris ac morionibus lapidetur. HYP. Verissima narras. Quis enim nunc ferat in honestis matronis, cornua, pyramides, metasq́ prælōgas in uertice prominentes, frontes ac tempora pilis arte uulsis glabra ad mediū propè craniū: in uiris pileorum thoros cum ingenti cauda pēsili, oras uestium insectas, thoros in humeros tumentes, cæsariē duobus digitis supra aures derasam, uestem longe breuiorē q̄ ut ad genua porrigatur, uix pudenda tegentē, calceos rostris in immensum porrectis, catenā argenteā à genu ad talū usq; reuinctam. Nec illis temporibus minus prodigiosus fuisset cultus, qui nunc habetur honestissimus. NOS. De ueste conuenit. BVL. Da nunc si libet ex pictoribus Apellē, qui suę ætatis & deos & homines optime pingere solitus est, si quo fato rediret in hoc seculū, & tales pingeret Germanos, quales olim pinxit Græcos: tales monarchas, qualē olim pinxit Alexandrū, quum hodie tales nō sint, nōne diceretur male pinxisse? NOS. Male, quia nō apte. BVL. Si tali habitu pingeret quis deū patrē, quali pinxit olim Iouē: tali specie CHRISTVM, quali tum pingebat Apollinem, num probares tabulam? NOSO. Nequaquàm. BVLEPHO. Quid, si quis uirginem matrem hodie sic exprimeret, quemadmodum Apelles olim effigiabat Dianā:

aut Agnen uirginē ea forma, qua ille pinxit illam omniū literis celebratā ἀναδυομένην: aut diuā Teclam ea specie qua pinxit Laidē, num hunc diceres Apelli similē? NOS. Non arbitror. BVL. Et si qs templa nostra talibus ornaret simulacris, qualibus olim Lysippus ornauit phana deorꝝ, nū hūc diceres Lysippo similē? NOS. Non dicerem. BVL. Quur ita? NOS. Quia signa rebus nō congruerēt. Idē dicerē, si quis asinum pingeret specie bubali: aut accipitrē figura cuculi, etiā si ad eam tabulā summā alioqui curā & artē adhiberet. HYP. Ego nec illū appellarē probū pictorē, qui deformem hominē, in tabula formosum redderet. BV. Quid si alioqui summā artē præstaret? HYP. Nō dicerē artis expertē tabulā, sed mendacē. Potuisset em̄ aliter pingere, si uoluisset: Cæterū ei quē expressit uel blandiri maluit, uel illudere. Sed quid? nū hunc putas probum artificē? NOS. Vt sit, hic certe non præstitit. BVL. Bonū igitur uirꝝ existimas? NOS. Nec bonū artificē, nec bonū uirꝝ. Siquidem caput artis est, rē, ut est, oculis repræsentare. BVL. Ad hoc non est magnopere opus eloquentia Ciceroniana. Nam uestri rhetores permittunt oratori mentiri nonnunq̄, res humiles uerbis attollere, magnificas deijcere, quod sane præstigiȷ genus est, obrepere insidijs in animū auditoris. Postremo mouendis affectibus, quod ueneficij genus est, uim adferre mentibus. NOS. Verꝝ, ubi dignus est auditor qui fallatur. BVL. Sed hæc interim mittamus ἀπροσδιόνυσα. Mihi satis est, quod

amictū

amictum nō probas corpori parꝫ accommodū: quod picturā damnas, non aptā ei rei, quā profitetur se uelle effingere. NOS. Sed quę exitū habituræ sunt istæ tuæ Socraticæ εἰσαγωγαί? BVL. Videlicet huc ibam mi Nosopone. Hoc mihi tecū conuenit, Ciceronē omniū optime dicere. NOS. Conuenit. BVL. Nec Ciceroniani pulcherrimū mereri cognomen, nisi qui similiter possit dicere. NOS. Prorsus. BVL. Tum ne bene quidē dicere, qui nō dicat apte. NOS. Conuenit & isthuc. BVL. Vt autē apte dicamus ita demū fieri, si sermo noster personis & rebus præsentibus congruat. NOS. Scilicet. BVL. Quid? Videtur præsens seculi status, cum eorꝫ temporꝫ ratione cōgruere, quibus uixit ac dixit Cicero, quum sint in diuersum mutata religio, imperiū, magistratus, respublica, leges, mores, studia, ipsa hominū facies, quid non? NOS. Nihil simile. BVL. Quid igitur frōtis habeat ille, qui à nobis exigat, ut per omnia Ciceronis more dicamus? Reddat is nobis prius Romā illā, quę fuit olim, reddat senatū & curiā, patres conscriptos, equestrē ordinē, populū in tribus & centurias digestū: reddat augurū & aruspicū collegia, Pontifices maximos, flamines & uestales, ædiles, prętores, tribunos plebis, consules, dictatores, Cæsares, comitia, leges, senatus consulta, plebiscita, statuas, triumphos, ouationes, supplicationes, phana, delubra, puluinaria, sacrorum ritus, deos deasq́;, Capitoliū, & ignē sacrū: reddat prouincias, colonias, municipia, & socios urbis rerum do-

minæ. Porrò quum undiquaq; tota rerũ humanarum scena inuersa sit, quis hodie potest apte dicere, nisi multũ Ciceroni dissimilis. Adeò mihi uidetur hoc quod agebam⁹ in diuersum exisse. Tu negas quenq̃ bene dicere, nisi Ciceronem exprimat: at res ipsa clamitat, neminẽ posse bene dicere, nisi prudens recedat ab exemplo Ciceronis. Quocũq; me uerto, uideo mutata omnia, in alio sto proscenio, aliud conspicio theatrũ, imò mundum alium. Quid faciã? Christiano mihi dicendũ est apud Christianos, de religione Christiana: nũ ut apte dicã imaginabor me uiuere ætate Ciceronis, & in frequente senatu apud patres conscriptos in arce Tarpeia dicere, & ex oratiõib⁹ quas in senatu dixit Cicero, uoculas aliquot, figuras & numeros emendicabo? Habẽda est concio apud promiscuã multitudinẽ, in qua sunt & uirgines & uxores & uiduæ: dicẽdum est de laude ieiunij, de pœnitentia, de fructu orandi, de utilitate eleemosynarũ, de sanctitate matrimonij, de cõtẽptu rerũ fluxarũ, de studio diuinarũ literarũ, quid hic opitulabitur mihi Ciceronis eloquentia, cui quẽadmodum res, de quibus dicẽdum est, erãt ignotæ: ita non potuerunt usitata esse uocabula, quæ post illum noua cũ rebus nouis exorta sunt. An non frigidus orator erit, qui ad has materias, ueluti pannos Ciceroni detractos assuat? Referam nõ rumore plata, sed quod his aurib⁹ audiui, his oculis conspexi. Florebãt id tẽporis Romæ pter cæteros dicẽdi laude Petrus Phædrus, & Camillus

lus hoc ætate minor, sed eloquēdi uiribus maior, nisi quod ille iam huius laudis arcē occuparat. Verꝫ horꝫ neuter, ni fallor, genere Romanus erat. Erat autē cuidā delegata prouincia, qui de morte Christi diceret die sacro, quē parasceuēs appellant, idq́ꝫ apud summum Pontificē. Aliquot ante diebus ad eam orationē audiendā sum inuitatus ab eruditis. Caue, inquiebant, ne desis: nunc demum audies, quid lingua Romana sonet in ore Romano. Adfui percupide, astiti suggesto proximus, ne quid effugeret. Aderat ipse Iulius secundus, quod solet, ualetudinis opinor causa, admodum raro, aderat frequens Cardinaliū Episcoporumq́ꝫ consessus, ac præter ignobilē turbā docti pleriqꝫ, qui tum Romæ agebant. Nomen oratoris non ædā, ne cui uidear hominis probi & eruditi famā arrodere uoluisse. Erat hoc animo quo tu nunc es Nosopone, nimirꝫ Ciceronianæ facūdiæ candidatus. Procœmiū & peroratio oratione pene tota longior, consumebatur prædicandis Iulij Secūdi laudibus, quē appellabat Ioue opt. Max. qui dextra omnipotente tenens ac uibrans trisulcum & ineuitabile fulmē, solo nutu faceret quicquid uellet. Quicquid aliquot annis gestū fuerat, in Gallijs, in Germania, in Hispanijs, in Lusitania, in Africa, in Grecia, id unius nutu perfectum esse prædicabat. Atqꝫ hæc qdē Romæ Romanus, ore Romano, sonoq́ꝫ Romano. Sed quid hęc ad Iuliū Christianæ religiōis antistitē, Chri uices gerētē, Petri & Pauli successorē? Quid hæc ad Cardinales &

les & Episcopos reliquorum apostolorum uicem obtinentes? Iam argumento, quod susceperat tractandum, quid sacratius, quid uerius, quid mirabilius, quid commouendis affectibus accõmodatius? Quis hic uel uulgari quapiã eloquẽtia præditus, nõ saxeis etiã hominibus excitet lachrymas? Cõsilium orationis hoc erat, ut primũ Christi mortẽ faceret luctuosam, mox in diuersum flexa dictione redderet gloriosam ac triumphalẽ, nimirũ ut nobis exhiberet exemplũ Cicerõianæ dinoseos, qua potuit auditorum animos in quencunque uellet affectũ rapere. HYP. Quid? successit ne? BVL. Mihi, quũ maxime tractaret affectus illos tragicos, quos rhetores appellant πάθη, ne quid fingã, ridere libebat. Nec quenquam in toto illo consessu uidi pilo tristiorẽ, quũ totis eloquentiæ uiribus exaggeraret indignos innocẽtissimi CHRISTI cruciatus. Rursum nec tantulo hilariorẽ quenquã, quũ totus in hoc esset, ut mortẽ illã redderet nobis triumphalẽ, plausibilẽ & gloriosam. Commemorabat Decios & Q. Curtium, qui se pro salute reip. dijs manibus deuouissent. Itẽ Cecropen, Menœciũ, Iphigeniã, & alios aliquot, quibus patriæ salus ac dignitas, ipsa uita fuisset charior. Deplorabat autẽ ualde lugubriter, quod fortibus uiris qui suis periculis reip. subuenissent, publicis decretis relata eẽt gratia, alijs in foro posita statua aurea, alijs decretis honoribus diuinis: Christum pro suis benefactis ab ingrata Iudæorum gente præmij loco tulisse crucẽ, dira passum, summaque

affectũ

affectum ignominia. Atq; ita nobis bonū illum & innocentē uirum, de'q; gente sua optime meritum reddebat miserandū, quasi Socratis aut Phocyonis mortē deplorasset, qui quū nihil admisissent sceleris, ciuiū suorꝫ ingratitudine coacti sunt cicutā bibere: aut Epaminondæ, qui ob res præclare gestas compulsus est capitis causam apud suos dicere: aut Scipionis, qui post tot in remp. merita exulatū abijt: aut Aristidis, quē populus Atheniensium non ferēs cognominis inuidiam, quod ob insignē morū integritatē uulgo iustus diceretur, ostracismo iussit in exilium proficisci. Quæso qd his dici potuit frigidius aut ineptius? Et tamē Ciceronē pro uiribus æmulatus est. Cæterum de arcano supremi numinis cōsilio, quod hac inaudita ratione uoluit genus humanū à diaboli tyrannide redimere per mortē unici filij, tū de mysterijs, quid sit commori CHRISTO, quid sit cum illo sepeliri, quid cum illo resurgere, nulla mentio. Deplorabatur illius innocentia, traducebatur Iudæorꝫ ingratitudo: at non deplorabatur nostra malitia, nostra ingratitudo, qui sic redempti, tot beneficijs affecti, ad tantā felicitatē inaudita benignitate prouocati, rursus illū, quod in nobis est, crucifigimus, ultro reuoluti in satanæ tyrannidē, seruientes auaritiæ, luxui, uoluptatibus, ambitioni, magis huic mundo dediti q̄ unq̄ fuerint ethnici, quibus deus nondum aperuerat hanc cœlestem philosophiā. Iam in diuersa parte quum ille magno conatu id ageret, ut gaudio

gesti-

gestiremus, magis libebat flere: quũ audirẽ, Scipionis, Pauli Aemilij, & C. Cæsaris triumphos, & imperatores in deorũ numerũ relatos, cum crucis triumpho conferri. Huius gloriã qui uoluisset uerbis attollere, Paulũ apostolũ potius sibi proponere debebat q̃ Ciceronem. Q̃ ille in hoc argumẽto, exultat, attollitur, superbit, regnat, triũphat, omnia mũdana uelut è sublimi despiciẽs, quoties in crucis prædicationẽ incidit. Quid multis? Tam Romane dixit Romanus ille, ut nihil audirem de morte CHRISTI. Et tamen ille Ciceronianæ dictionis ambitiosissimus candidatus, Ciceronianis uidebatur mirifice dixisse, quũ de re penè nihil diceret, quã nec intelligere, nec amare uidebatur, neq; quicq̃ apposite dicebat, nec ullos mouerat affectus. Tantum hoc laudis ferebat, quod Romane pronuntiasset, & aliquid Ciceronis retulisset. Probari poterat hoc uelut indolis ingenijq; specimẽ, si à puero apud pueros in schola fuisset habita talis oratio. Verũ ad talẽ diẽ, ad tales auditores, ad tale argumentũ quid faciebat obsecro? NOS. Est ἀνώνυμ@ de quo loqueris? BVL. Nomen, ut dictũ est, intelligi malo q̃ exprimi. Neq; enim nobis hic propositũ est ullius nomen aspergere, sed errorẽ uitandũ ostendimus, q non paucis hodie sub splendidi nominis umbra imponit. Hoc nostra refert Nosopone, nomen hominis, de quo narraui fabulam, scire nihil refert. Pertinet aũt hoc & ad Ciceronis gloriã, cui uideo te supra modũ fauere, cui quotquot usq̃ terrarũ

sunt

sunt eruditi merito fauent. Nam isti simij non so'lum officiunt adolescentiæ studijs ac moribus, uerum etiã ipsum Ciceronis nomen obscurant, cuius cognomine sese uenditant, quũ nihil sint minus, q̃ Ciceroniani. Quemadmodũ eximię pietatis uirũ Benedictũ infamant, qui se cultu tituloq́ iactant Benedictinos, etiã illi qui uita propius ad Sardanapalũ accedunt, q̃ ad Benedictũ: & minime malitiosum hominẽ Franciscũ, qui se huius cognomine iactitant, quum moribus pharisæos propius exprimant q̃ Franciscũ: & Augustinũ, qui se ferunt Augustinẽses, quũ à doctrina simul ac pietate tanti uiri procul abhorreant: fortasse & CHRISTVM, qui præter titulũ nihil habent illius: ita Ciceronis famæ labẽ aspergunt, qui nihil habent in ore, præter Ciceronẽ & Ciceronianos, quũ nulli magis absint ab eloquentia Ciceronis. Mirum quo supercilio Thomæ, Scoti, Durandi similiumq́ barbariẽ execrentur: & tamen si res uocetur ad exactũ iudiciũ, illi quũ se nec eloquentes, nec Ciceronianos iactitent, magis Ciceroniani sunt, q̃ isti qui postulant haberi non iam Ciceroniani, sed ipsi Cicerões NOS. Monstri simile narras. BV. Non est monstrosa ueritas: qui mentitur, monstri simile dicit. Nonne fateris Ciceroni simillimũ, q̃ de quacunq; re dicit optime? NOS. Fateor. BVL. Ad bene dicendũ duę potissimũ res conducunt, ut penitus cognitũ habeas, de quo dicendũ est: deinde ut pectus & affectus suppeditet orationem. NOS. Ista quidem docent Oratius & Fabius,

& alioqui citra autorē uerissima sunt: quare non conabor inficias ire. BVL. Vnde igitur Ciceroniani nomen feret, hoc est, optime dicentis, qui de rebus loquitur, quas nec penit⁹ intelligit, nec affectu pectoris prosequitur, ut ne dicā, quas plane negligit oditq́. HYP. Id quidē perdifficile est. Qui possit enim pictor, q̄uis probus artifex, effingere figurā hominis, quē nunq̄ attente contemplatus est, aut fortasse ne uidit quidē? Deinde uix impetres ab hoc artificū genere ut scite rem exprimant, nisi delectentur argumento. BVL. Illud igitur in primis curandum erat Ciceronianis, ut intelligāt mysteria Christianæ religionis, nec minore studio libros sacros euoluant, q̄ Cicero philosophorꝵ, poëtarꝵ, iurisperitorꝵ, augurꝵ & historicorum euoluerat. His rebus instructus ille, fuit Cicero. Nos qui nostræ professiōis, nec leges, nec prophetas, nec historias, nec interpretes attingimus, contemnimus etiam & horremus, qui tandem erimus Ciceroniani? Verꝵ age, dicendum est apud Christianos, sed de re prophana, puta de creando magistratu, de matrimonio, aut de pangendo fœdere, aut de bello suscipiendo: an his de rebus Christiani apud Christianos eodē modo dicemus, quo Cicero ethnicus loquebatur apud ethnicos? An nō omnes uitæ nostræ actiones cō ferendę sunt ad Christi regulas? à quibus si tua recedat oratio, iā nec bonus orator, nec uir fueris bonus. Quod si is qui dicit nullum uerbum promit, nisi ex indice suo: quū res mortalium in diuersum

uersum

alium in diuersum commutatæ,nouas uoces inuexerint,quid hic faciet Cicerōianus, quum eas non reperiet,nec in M.Tullij libris, nec in suo elēcho? Si reijcietur, quicquid non deprehēditur in libris illius,quū tam multi inciderint,uide q̄ multa uitabimus ut barbara,quæ sunt à Cicerōe prodita.Rursus q̄ multa,quibus erat usurus, si de rebus huiusmodi dicendū fuisset.Nusq̄ apud Ciceronem legimus,IESV CHRISTI,uerbi dei,spiritus sancti,aut trinitatis uocabulū,nec Euangelium,nec Euangelistā,necMosen,nec Prophetam, nec Pentateuchum, nec Psalmos, nec Episcopū, nec Archiepiscopū,nec diaconū,nec hypodiaconum,nec acoluthum,nec exorcistā,nec ecclesiā. nec fidē,spē &charitatē,nec triū personarꝫ eandē essentiā,nec hæresim, nec symbolum, nec septē Ecclesiæ sacramenta,nec baptismū aut baptistā, nec confirmationē, nec eucharistiā, nec sacram unctionē,nec pœnitentiā,nec sacramentalē confessionē,nec contritionē,nec absolutionē, nec excommunicationem, nec ecclesiasticā sepulturā, nec missam, nec alia innumera, quibus constat omnis uita Christianorꝫ.Hæc nusq̄ non sunt obuia, quacunq; de re tētas dicere, ingerunt sese uel nolenti. Quid faciet? quò se uertet ille superstitiose Cicerōianus? An pro patre CHRISTI dicet,Iupiter opt.Max.pro filio dicet Apollinē,aut Aesculapiū: pro uirginum regina dicet Dianam,pro ecclesia sacrā concionē, aut ciuitatē aut remp. pro ethnico perduellem, pro hæresi factionem,pro

schismate seditionem, pro fide Christiana, Christianam persuasionē: pro excōmunicatione proscriptionem: pro excōmunicare, diris deuouere, aut, quod nonnullis magis arridet, aqua & igni interdicere: pro apostolis legatos, aut ueredarios: pro Romano Pontifice flaminē dialē: pro cōsessu Card. patres conscriptos: pro synodo generali S.P.Q. reip. Christianæ: pro episcopis, præsides prouinciarum: pro electione episcoporum, comitia: pro synodica cōstitutione, senatus consultū: pro summo pōtifice, summū ciuitatis præfectū: pro CHRISTO capite ecclesię, summū reip. pręsidem: pro diabolo sycophantā: pro propheta uatem aut diuinū: pro prophetijs oracula diuûm: pro baptismo tincturā: pro missa uictimā: pro sacerdote sacrificulū, aut sacrorum antistitē: pro diacono ministrum aut curionē: pro gratia dei, numinis munificentiā: pro absolutiōe manumissionem. Vides ex innumera uocabulorum turba quantulam portionem attigerim. Quid hic faciet Ciceronianæ phraseos candidatus? Vtrum'ne tacebit, an ad hunc modū immutabit recepta Christianis uocabula? NOS. Quid ni? BVL. Fingamus igitur exemplum. Hanc sententiā: IESVS CHRISTVS, uerbū & filius æterni patris, iuxta prophetias uenit in mundū, ac factus homo sponte se in mortē tradidit ac redemit ecclesiā suā, offensique patris iram auertit à nobis, eique nos recōciliauit, ut per gratiam fidei iustificati, & à tyrannide liberati, inseramur ecclesiæ, & in ecclesiæ cōmunione

ne

ne perseuerātes,post hanc uitam cōsequamur re gnum cœlorꝝ:sic efferet Ciceronianus: Optimi Maximiq; Iouis interpres ac filius, seruator, rex, iuxta uatū responsa,ex olympo deuolauit in terras, & hominis assumpta figura, sese pro salute reip. spōte deuouit dijs manibus,atq; ita concionem siue ciuitatē siue remp. suā asseruit in libertatē, ac Iouis optimi Maximi, uibratū in nostra capita fulmen restinxit,nosq; cum illo redegit in gratiā, ut persuasiōis munificētia ad innocentiā reparati: & à sycophantę dominatu manumissi, cooptemur in ciuitatē,& in reip. societate perseuerantes, quū fata nos euocarint ex hac uita, in diuū consortio rerꝝ summa potiamur. NOS. Ludis tu quidē Bulephore. BV. Ita me bene amet nostra πειθὼ, rem seriā ago. Iam si usus uenerit, ut de difficillimis dogmatū nostrorꝝ quæstionibus sit disserendū,quantū lucis habebit disputatio,si talibus flosculis ornatus incedat sermo? Quid aliud q̄ fumum ingerā materiæ tenebris? Quoties ad has salebras restitabit lector? Sed age liceat hactenus ludere Ciceronis imagine, quid fiet, ubi res poscet diuinarꝝ scripturarum testimonia? An quum erit citandum aliquid ex decalogi præceptis,tantum asscribam,recita legem? Quum pronuntiandum erit constitutio synodi,asscribā,recita senatus consultum? Quum erit aliquid promendū ex prophetis aut apostolis,asscribere sat erit,recita testimoniū. Sic enī oino solet Cicero, Itaq; uitabo, ne dictionē Ciceronianā uerbis nō

Ciceronianis contaminē? NOS. Quid igitur? Num autor eris nobis sic loquendi, quemadmodū scripserunt Thomas & Scotus? BVL. Si melius dicit qui dicit aptius, sic de rebus sacris loqui præstiterat, q̄ in his Ciceronē exprimere. Quanq̄ est medium quiddam inter Scotos, & Ciceronis simias. Nec statim male Latinū est, quod apud Ciceronem non extat, qui, ut sæpe iam dictū est, nec extat totus, & si totus extaret, non tractauit omnes materias, & si tractasset omnes illorū temporū, nostras res nec tractauit, nec nouit. Postremo q̄d ad sermonis proprietatē & elegantiā attinet, nec Ciceroni cedit M. Varro, & hac dote præfert C. Cæsar. Neq; enim M. Tullius fuit autor ac parens Romani sermonis, sed orator maximus, & in causarų ciuiliū actionibus primæ laudis: in alijs inferior nonnullis, in carmine frigidus, in uertendis Græcis parū felix, qualis futurus in cæteris incertum. Si mihi de matrimonio dicendum sit, cuius multo alia nunc est ratio q̄ fuit olim; & de quo M. Tullius nihil memoriæ prodidit, num uerebor ex Aristotele, Xenophonte, Plutarcho, è diuinis libris, è Tertulliano, Hieronymo & Augustino sententias ac uerba legere, ne cui uidear parų Ciceronianus? Item si de re rustica præcipiendū fuerit, fas non erit ex Virgilio, Catone, Varrone, Columella decerpere quæ placent? Si barbarū habet, quicquid est nouum & recens natum, nulla uox non fuit aliquando barbara. Quàm multa reperies apud ipsum Ciceronē noua, præsertim in his libris

libris in quibus tractat artem rhetoricã, aut rem philosophicam. Quis ante Ciceronẽ audiuit beatitatem & beatitudinẽ? Quis apud Latinos sonat finis bonorum, quũ apud illum significet summũ bonum, aut id in quo quis statuit summam felicitatem? Quid nobis sonat uisum & uisio, species, præpositũ & reiectũ? Quid latinis auribus sonat, occupatio, quid contentio, quid superlatio, quid complexio, quid traductio, quid frequentatio, licentia, gradatio: quid status & constitutio, quid iudicatio, quid continens, quid firmamentũ, qd demõstratiuum genus, quid inductio, quid propositum, quid aggressio, quid insinuatio, quid acclamatio, quid aliæ uoces innumeræ, quas aut prius Latinis inauditas ausus est fingere, aut in eam significationem detorsit, quã populus Romanus non agnoscebat. Hoc ille reclamãte seculo nõ est ueritus facere, quũ philosophorũ Græcorum dogmata Latinis auribus traderet, & ut, quod erat in præceptis rhetorum, peculiaribus uocabulis in hoc proprie repertis explanaret, nonnullas peregrinas uoces ciuitate Romana donauit. Et nos piaculũ admissum credimus, si rebus nouatis uocibus aliquot nouis utamur? Nulla est ars humana, cui non concedimus ius utendi suis uocabulis: licet grammaticis dicere, supinum & gerundium: mathematicis sesquialterã, & superbipartientem: habent agricolæ & fabri propria suarum artium uocabula. & nos cœlũ terræ miscemus, si nostræ religionis mysteria suis uerbis ex-

 plice-

plicemus? Voces aliquot Hebraicæ, complures Græcanicæ (quoniā è Palæstina, Asia minore & Græcia, primū ad nos demanauit Christiana philosophia) unà cum ipsis rebus inuectæ sunt, q̃d genus sunt, osanna, amē, ecclesia, apostolus, episcopus, catholicus, orthodoxus, hæreticus, schisma, charisma, dogma, chrisma, Christus, baptizo, paracletus, euangelium, euangelizare, euangelista, proselytus, catechumenus, exorcismus, eucharistia, symbolū, anathema, nonnullas prisci Christianę religionis antistites usurparūt, quo cōmodius possent de rebus tā sublimibus disserere, cuiusmodi sunt ὁμούσιος, quod nos consubstantialis uertimus, fides, gratia, mediator, & si qua sunt alia, quæ ante hanc uel inaudita Latinis erāt, uel non in eundē sensum usurpata. Num igit tanti nobis erit dici Ciceronianū, ut de rebus, de q̃bus solis erat loquendū, prorsus sileamus: aut pro uerbis uel ab apostolis traditis, uel à maioribus repertis, & in hunc usq; diē tot seculorū consensu receptis, abstinebimus, alia quædā in illorū locū pro suo quisq; arbitrio cōminiscentes? Imò mel, piper, & sinapi cū suæ nationis uocabulis receperūt primū Græci, mox Latini: & nos fastidimus aliquot dictiones quæ nobis cū illa cœlesti philosophia per Christū, per apostolos, per afflatos sacro spiritu patres, per manus traditæ sunt, atq; interim ad Ciceronē confugimus, inde mutuo sumpturi uoces, uidelicet ἐν τῷ φακῷ μύρον, qđ apud Græcos dici solet? Si quis nobiscū summo iure

iure contendat, citius diceret Ciceronis uerbis, figuris ac numeris, Christianæ philosophiæ maiestatē fœdari. Verum istis non assentior: mihi placet in quauis materia nitor ac mundities orationis. At non ille dicit Ciceroniane, qui Christianus apud Christianos de re Christiana sic loquit̃, quē admodū olim ethnicus apud ethnicos de rebus prophanis loquutus est Cicero, sed queadmodū ille eo p̃ditus ingenio quo tū erat, eo dicēdi usu, ea rerum nostrarum cognitiōe, qua tum prophanarum erat instructus, postremo sic inflāmatus studio pietatis erga remp. Christianā, quemadmodum tū uel gloria uel studio flagrabat in urbē Romanā & in maiestatē Romani nominis, dicturus esset hodie Christian⁹ apud Christianos si uiueret. Hoc qui præstare ualet prodeat, & æquis animis feremus illū dici Ciceronianū, si tantopere ducit huius amore cognominis. Ipse M. Tullius si uiueret hoc rerum statu, dei patris nomē non iudicaret minus elegās, q̃ Iouis opt. Max. Nec minus decoris putaret accedere dictiōi, si subinde repeteret Iesum Christū, q̃ si Romulū, aut Scipionē Africanū, aut Q. Curtiū, aut M. Deciū. Nec minus splendidū existimaret ecclesiæ Catholicæ nomē, q̃ patrum conscriptorum, q̃ Quiritiū, q̃ senatus populiq́ue Romani. Diceret nobiscū, fidē in Christū, diceret infideles, q à Christo sunt alieni, diceret paracletum spiritum, diceret sanctam trinitatem. Quod dico probabilibus argumentis colligi potest. Num illum deterruit elegātiæ studium, quo minus

nus in Philippicis dum præit formulam senatus consulti, utatur uerbis solennibus magis q̃ Latinis? An non in Topicis utitur uerbis iureconsultorum longe alienis à phrasi rhetorica? An ille fastidisset uerba nostræ philosophiæ peculiaria? NOS. Mihi quidem uideris satis feliciter declamare. BVL. Ad hæc, nonne gratia sermonis bona ex parte pendet ex conditúris & allusionibus? At M. Tullius unde sumit hæc condimenta? Nonne ex Homero, Euripide, Sophocle, Ennio, Lucilio, Accio, Pacuuio, Neuio: tum ex philosophorũ & historicorum libris? NOS. Nimirũ sine his ornamẽtis sordida ac triuialis est oratio. Hæc ceu gẽmæ flosculi'ue intertexta, reddunt admirandũ quod scribitur. BVL. Quid si nos eadẽ petamus ex Virgilio, Flacco, Ouidio, Seneca, Lucano, Martiale, num hac parte dissimiles erimus Ciceronis? NO. Isthuc concedunt, licet ægre. Habet enim apud Ciceronẽ nescio quid maiestatis antiquitas eorũ quorum dicta refert. BVLE. Qui fit igitur ut nos existimemus totam orationem conspurcatam, si condimenta, quæ Cicero petebat ethnicus ab ethnicis, nos ex antiquissimis prophetis, Mose, Psalmis, Euangelicis & Apostolicis literis petamus? Admirandam quandam gemmã appositã existimamus, si quod Socratis dictũ admiscuerimus orationi, & maculam accessisse credimus, si quid admixtum erit è prouerbijs Solomonis? An præ Socrate nobis putet Solomõ? Si quid ex Pindari, Flacci'ue dictis fuerit interiectum, splendet oratio:

oratio: & sordescit, si quid e sacris psalmis apte fuerit attextum? Pondus ac maiestatem additã arbitramur orationi, si quam Platonis sententiã inseruerimus, & plurimũ gratię decessisse uidet, si quã Christi sententiã ex Euangelicis literis addiderimus? Vnde hęc tam prępostera iudicia? An Platonis sapientiam uehementius admiramur q̃ Christi? An libri spiritus cœlestis afflatu proditi sordent nobis præ scriptis Homeri, Euripidis, aut Ennij? Quin missam hic faciamus spiritus sacri mentionem, ne uideamur diuina cum humanis conferre. Historia, si fidẽ detrahas, ne nomẽ quidem historiæ meretur. Hic mihi confer, si libet, fabulosum Herodotũ cum Mose: confer historiam orbis cõditi, exitus ab Aegypto cum Diodori fabulis: confer libros Iudicũ & Regum cum Tito Liuio, qui non raro secum ipse dissidet in rerũ gestarum narratione, tãtum abest, ut nusq̃ aberret à uero: confer Platonem cum Christo, Socratis εἰρωνείας, cum Christi cœlestibus oraculis: confer psalmos nihil humani spirantes cum Pindaricis adulationibus: confer Solomonis canticũ cum Theocriti nęnijs, siue personas spectes, siue rem, nihil simile. Habet diuina sapientia suã quãdam eloquentiam, nec mirũ si nonnihil diuersam à Demosthenica, seu Ciceroniana, quum alius cultus deceat summi regis uxorẽ, alius gloriosi militis amicam. Hoc dicturus erã si quis uerba cum uerbis, figuras cum figuris, numeros cum numeris incipiat cõparare. An dulcius sonat auribus no-

ſtris, Theſſala tempe, q̃ mons Sion? An iucũdius eſt auribus noſtris, Socrates Sophroniſci filius, q̃ Ieſus dei filius deus? Quur magis blanditur auribus noſtris Annibal Pœnorꝫ imperator, q̃ Paulus gentiũ doctor? Si perſonas ęſtimes, ille Romano imperio moliebatur exitiũ, hic ſalutiferã philoſophiã inuexit. Si uoces conferas, quæſo quid intereſt? HYP. Si uerum fateri uolumus, nihil niſi quod apud homines plurimũ ualet, uel quæ ſemel occupauit animũ perſuaſio, uel penitus hauſtą imaginatio. Hoc accepimus, hoc penitus inſedit animis noſtris, uoces illas eſſe politas ac ſplẽdidas, has inamœnas & barbaras. BVL. Rem acu tetigiſti. Sed quæ res iſthuc perſuaſit animis noſtris? HYP. Neſcio. BVL. Res ipſa? HYP. Non opinor. BVL. Vis eloquar, quod uero uerius eſt? HYP. Per me quidem impune. BVL. Huius expecto uocẽ. NOS. Vtere iure quod ſtipulanti conceſſimus. BVL. At uereor ne parũ uideatur Ciceronianum quod dicturus ſum. NOS. Hic nihil refert. BVL. Paganitas eſt, mihi crede Noſopone, paganitas eſt, quæ iſta perſuadet auribus atq; animis noſtris: titulo duntaxat ſumus Chriſtiani. Corpus aqua ſacra tinctũ eſt, ſed illota mens eſt: frons cruce ſignatą eſt, animus crucẽ execrat̃: Ieſum ore profitemur, ſed Iouẽ opt. Max. & Romulũ geſtamus in pectore. Alioq; ſi uere, quod dicimur, eſſemus, quod tandẽ ſub ſole nomen oportuit uel cogitationibus, uel auribus noſtris eſſe iucundius nomine Ieſu, per quẽ à tãtis malis erepti, cuius gratuita

tuita benignitate ad tantam dignitatem uocamur, ad æternã felicitatẽ inuitamur: ad cuius mẽtionem contremiscunt impij spiritus, generis humani plusq̃ capitales hostes: ceruices ac genua submittunt æthereæ mentes. Quod tam efficax est, ut ad huius inuocationẽ fugiant dęmones, cedant immedicabiles morbi, reuiuiscant mortui: tam blandũ & amicũ, ut nulla sit tam acerba calamitas, quin magno solatio leniatur, si Iesum ex animo nomines. Et hoc nomine pſuademus nobis sordidari nitorẽ orationis, quũ Annibal & Camillus mera sint orationis lumina? Eijciamus, reuellamus, profligemus ex animo paganitatem hanc, pectus uere Christianũ ad lectionẽ adferamus, & uidebimus lucidissimã stellã additã oratiõi, quoties IESV CHRISTI nomẽ fuerit insertũ: eximiã accessisse gẽmã quoties uirginis matris, quoties Pauli Petriq́; nomẽ admiscebit: multũ decoris accessisse, quoties ex diuinarũ literarũ adytis, quoties è spiritus sancti lecythis ac myrothecijs, sententiã uiderimus interiectã, modo in loco, mõ ex animo, multoq́; plus dignitatis adiũctũ dictiõi, q̃ si ex Ennianis aut Actianis scriptis decẽ milia dictorũ, q̃ in illis habent̃ uenustissima, fuissent addita. HY. Isto sanè pacto uitat̃, ne quid hæreseos insimulẽt theologi. BV. Iam si qd est ornatus in tropis ac schematis, id totũ est nobis cũ Cicerõe cõmune: rerũ maiestate, fideq́; lõge sumꝰ illo supiores. Tm̃ de uocibus imponit nobis imaginatio paganica, fallit affectꝰ parũ Christianus,
ideo

ideo putent nobis quæ ſuapte natura ſunt pul-cherrima, quia non amamus, utinã non odiſſe-mus. Vt enim, iuxta Theocriti ſententiã, amanti pulchra ſunt & ea quæ pulchra non ſunt, ita ni-hil eſt odio non deforme. Veniam ad alluſiones, quas ſi tollas, ſcis ipſe quantum Veneris decedat orationi. Quur hic nobis uehemẽtius blanditur, ſi quis ſignificans aliquem indecenter admixtũ alieno gregi, dicat, uidiſſes corchorꝫ inter hole-ra, q̃ ſi dicat, uidiſſes Saulẽ inter prophetas: aut ſi ſignificans quippiã nõ in loco factũ dictũ'ue, dicat, in lenticula unguentum, q̃ anulũ aureum in nare ſuilla: aut ſi ſignificans, non fortunæ ſed bonæ conſcientiæ nitendũ eſſe, dicat, in ſacræ an corę præſidio ſpem eſſe reponendam, q̃ ſi dicat, ſolidæ petrę innitendum. Aut ſi quis uolens boni uiri partes eſſe, alienis inſeruire commodis poti-us q̃ utilitatis proprię rationem habere, dicat, ni-hil minus decet Chriſtianum hominẽ, q̃ Aſpen-dium agere citharœdũ, q̃ ſi dicat ad Pauli dictũ alludẽs, magis eſſe ſpectandũ quid liceat q̃ quid expediat. Hæc ſi perſequi laborem, iuſti uolumi-nis res ſit: indicaſſe ſat habeo. Quàm inhiamus, q̃ ſtupeſcimus ſi quod ueterꝫ dæmoniorꝫ ſimula crum, aut etiam ſimulacri fragmentũ nacti fue-rimus, & Chriſti ac diuorũ imagines uix æquis oculis aſpicimus. Vt admiramur epigrãma, ſeu epitaphiũ in corroſo ſaxo repertum: Luciæ con-iugi clariſſimæ, ante tempus extinctæ, Marcel-lus poſuit dijs manibus ſacrum: ô me infelicem.

Quur

Quur uiuo? In huiusmodi quũ sæpenumero non solum sensus inepti & paganici, uerũ etiam insignes reperiantur solœcismi, tamen ea exosculamur, ueneramur ac propemodũ adoramus antiquitatem, & apostolorũ reliquias deridemus. Si quis quid proferat ex duodecim tabulis, quis nõ iudicet sacratissimo loco dignũ? Et leges digito dei tabulis inscriptas, quis nostrum ueneratur, quis exosculatur? Quàm habemus in delicijs Herculis, aut Mercurij, aut Fortunæ, aut Victoriæ, aut Alexãdri Magni, Cæsaris'ue cuiuslibet simulacrum nomismate expressum, & ueluti superstitiosos ridemus, qui lignum crucis, qui triadis ac diuorũ imagines inter res charas habent. Si quando Romæ conspicatus es Ciceronianorũ μουσεῖα, recole quæso, nuncubi uideris imaginem crucifixi, aut sacræ triadis aut apostolorũ: paganismi monumentis plena reperies omnia. Et in tabulis magis capit oculos nostros Iupiter per impluuium illapsus in gremium Danaës, quàm Gabriel sacræ uirgini nuntians cœlestẽ conceptum: uehementius delectat raptus ab aquila Ganymedis, quàm Christus ascendens in cælũ: iucundius morantur oculos nostros expressa Bacchanalia, Terminalia'ue, turpitudinis & obscœnitatis plena, quàm Lazarus in uitam reuocatus, aut Christus à Ioanne baptizatus. Hæc sunt mysteria, quæ sub Ciceroniani nominis uelo tegũtur. Mihi crede, per speciosi tituli prætextum insidiæ tenduntur simplicibus, & ad fraudẽ idoneis adolescentibus. Paganitatẽ profi-

profiteri non audemus, Ciceroniani cognomen obtẽdimus. At quãto satius esset uel mutos esse nos, q̃ in hunc affectum uenire? NOS. Expectabã ut adiuuares conatus nostros. Cęterũ nescio quo modo dilapsus aliò, labefactas animum meum, ne pertendam quod aggressus sum. BVL. Iam dixi & repeto, non retraho animũ tuũ à præclaris cœptis, sed ad ea quæ sunt optima surrigo. Neq; enim hæc ideo cõmemorata sunt, quod arbitrer te talibus affinem affectibus: sed illud pro mea uirili molior, ut feliciter affectemus Ciceronianam eloquẽtiam, ne sedulo quidẽ sed parũ rectis iudicijs id agentes, nihil aliud assequamur, q̃ ut dũ ualde studemus haberi Ciceroniani, nihil minus simus q̃ Ciceroniani, si modo perpetuũ esse pateris quod donasti, Ciceronis esse q̃ optime dicere: ac ne bene quidẽ dicere, qui nõ dicat apte: tum frigidam ac mortuã esse dictionẽ, quæ non proficiscať è pectore. NOS. Qui fiet igitur, ut reddamur aliquando germane Ciceroniani? Neq; enim grauabor tuum sequi consilium, si quod habes meo rectius. BV. Hic est quod nobis optare, quod te monere possim, præterea non multum. Ingenium ac naturam Cicerõis optare possum nobis, dare non possum. Habent singula mortalium ingenia suũ quiddã ac genuinum, quæ res tantam habet uim, ut ad hoc aut illud dicendi genus natura compositus, frustra nitatur ad diuersum. Nulli enim bene cessit θεομαχία, quemadmodum Græci solent dicere. NOS. Scio, quod dicis, non

non indiligenter admonere Quintilianum. BVL. Sit igitur hæc admonitio prima, ne quiuis sese addicat ad exprimendum Ciceronem, cuius genius uehementer abhorreat à genio Ciceronis: alioqui mōstri similis euadet, qui quum à sua natiua forma recesserit, alienā tamen non assequatur. Illud igitur in primis inspiciendū est, ad quod dicendi genus te natura finxerit. Etenim si qua fides astrologis, nemo temere fortunat⁹ est in eo, à quo genesis abhorret. Qui musis natus est, nunquā felix erit in bello. Qui bello natus est, nunq̄ scribet felicia poëmata. Qui coniugio natus est, nunq̄ erit bonus monachus. Qui agriculturæ natus est, nunq̄ huic erit aula prospera: & contrà. NOS. Atqui nihil est quod nō expugnet labor improbus. Videmus arte humana lapidē uerti in aquam, plumbum in argentum, æs in aurū, cura plantas exuere syluestre ingenium. Quid uetat quo minus & hominis ingeniū arte & usu transformetur? BVL. Naturam habilem adiuuet cura, leniter abhorrentem conciliat, & corruptā emēdat: at prorsus abhorrētē & ad diuersa cōpositā, frustra uexes ô Nosopone. Equus discit in gyrū circūagi, discit incessum gradariū: at frustra bouē duxeris ad ceroma, frustra canem uocaris ad aratrū, frustra bubalū ad equestre certamē. Aqua fortasse uertit̄ in aërē, aër in ignē, si quis omnino ignis est elemētari⁹: sed terra nūq̄ uertit̄ in ignē, nec ignis in aquā. Nec est necesse affectare similitudinē, si cōtingat esse parē, aut certe ꝓpinquū,

licet

licet dissimilem. Quid dissimilius q̃ smaragdus & pyropus, & tamen pretio gratiaq́ꝫ pares sunt. Dissimilis est rosa lilio, diuersus odor, & tamen uterqꝫ flos alterꝝ æquat. An non sæpe uidisti duas puellas facie dissimili, sed ambas ea forma, ut ex cellētia factura sit ambiguū delectū, si cui detur optio? Non statim melius est, quod ad Ciceronis imaginē propius accedit, quemadmodū antea dicere cœperamus, nullū animal omnibus mem bris propius ad hominis figurā accedere q̃ simiam, adeò, ut si uox accederet, homo uideri possit: nihil autē homini dissimilius esse q̃ pauū aut cygnum, & tamen cygnus, opinor, aut pauus esse malles q̃ simius. HYP. Ego uel camelus esse malim aut bubalus q̃ simiorū formosissimus. BVL. Dic mihi Nosopone, utrum tibi dari malles uocē lusciniæ an coccycis? NOS. Lusciniæ. BVLE. Et tamen coccyx propius accedit ad uocē hominis. Vtrum malles cum alaudis canere, an cum coruis crocitari? NO. Cum alaudis canere. BVL. Et tamē coruorum uox similior est humanæ. Vtrum malles cum asinis rudere, an cum equis hinnire? NOS. Cum equis hinnire, si ad alterutrum adigat fatorꝝ necessitas. BVL. Et tamen asinus ueluti conatur humano more loqui. NOS. At opinor meā Mineruam nō usqꝫ adeò auersam esse ab ingenio Ciceronis. Proinde quod naturæ deest, absoluet meditatio. Quare fac absoluas, quod admonēdū existimas. BVL. Recte facis quod in uiā reuocas, nam aliò dilapsurus erat sermo meus. Sūma est,

ut quod cupimus, uere faciamus, hoc est, totum Ciceronem exprimamus, qui nec in uerbis, nec in formulis, nec in numeris, nec in scriptis totus est, imò uix dimidiatus, ut antè satis declaratum est. NOS. Vbi igitur totus? BVL. Nusq̃ nisi in seipso. Quod si totum uis exprimere Ciceronē, teipsum non potes exprimere. Si teipsum non exprimis, mendax speculum tua fuerit oratio, nihilóq; minus absurdum uidebitur, q̃ si coloribus oblita facie te pro Nosopono Petroniũ esse simules. NOS. Aenigmata loqueris. BVL. Dicā crassius, ineptiũt qui se torquent in hoc ut Ciceronē istis rationibus totum exprimāt, quod fieri nec potest, si expediat: nec expedit si fieri possit. Sic autē totus exprimi potest, si uirtutes illius non easdem reddere cōtendamus, sed pares ad illius imitationē exprimere, aut, si licet, etiam uincere. Siquidē fieri potest, ut Cicerōianus sit maxime, qui Ciceroni sit dissimillimus, hoc est, q optime aptissiméq; dicat, quũ diuersa ratione dicat, nimirum rebus iam in diuersum commutatis, ueluti si quis senē pingere uelit, quem Apelles pinxerat adolescentem, hoc ipso fuerit Apelli dissimilis, si iam aliũ factum, uelit eodē modo pingere. HYP. Sphinge dignum ænigma, ut hoc ipso dissimilis sit aliqs, quo similis est. BVL. An non id usu ueniret, si quis eo modo caneret in funere, quo Hermogenes canere solet epithalamia: aut ea gesticulatione causam diceret apud Areopagitas, qua saltare Roscius solet in Theatro? Verum hactenus licebit affe

ctare Ciceronis similitudinem, si ijsdem uestigijs ad eloquentiæ palmam contendamus, quibus ille peruenit. NOS. Quibus? BVLE. Num ad unius imitationem semet addixit? Nequaquam, sed ex præcipuis quod in quoque esset aptissimum exprimere studuit. Hic primus erat Demosthenes, nō solus: nec hunc ita sibi proposuit, ut totum exprimeret, sed ut congrua seligeret: nec sic ut sequi contentus esset, sed ut delectu quædam prudens uitaret, nōnulla corrigeret: quæ uero probabat sic æmularetur, ut præire contenderet. Ad hæc pectoris sui penum affatim expleuit omnium disciplinarum, autorum, ueterum ac nouarum rerum cognitione: suæ ciuitatis familias, ritus, instituta, leges, edicta, plebiscita diligenter ediscebat. Nec solum studiose uersabatur in adytis philosophorum, uerum etiam in secessus Musarum se subinde recipiebat, ab alijs pronuntiationem, ab alijs gestum discebat. Hæc qui faciet eadem, dissimillimus euadet M. Tullio, paria quam faciet aut similia, is Ciceroniani cognomen promerebitur. NOS. Dic aliquanto dilucidius. BVLE. Qui pari studio sese exercebit in cognitione philosophiæ Christianæ, quo ille se exercuit in prophana: qui eo affectu imbibet psalmos & prophetas, quo ille hausit poëtarum libros: qui tāta uigilātia studebit cognoscere apostolorum decreta, ecclesiæ ritus, primordia, progressum ac deliquium reip. Christianæ, quanta ille laborauit, urbis Romanæ, prouinciarum, municipiorum & sociorum, iura legesque perdiscere. Tum quam quod his omnibus stu

dijs

dijs comparatū est,ad res præsentes accōmodabit,is poterit aliquo iure Ciceroniani cognomē ambire. NOS. Isthæc omnia tua non uideo quorsum pertineant,nisi ut Christiane loquamur, nō Ciceroniane. BVL. Quid?num tibi Ciceronianus est,qui nec apte dicit,nec intelligit res,de quibus uerba facit?NOS. Nequaq̃. BVL. At huc pertinent illorū studia, qui nunc Ciceroniani uolūt haberi. Id ne nobis usu ueniat disquirimus. Nec ulla res uetat quo minus idē & Christiane dicat & Ciceroniane,si modo fateris eum Ciceronianū,qui di lucide,copiose,uehemēter & apposite dicat pro rei natura,proq; temporum ac personarū̧ conditione. Quidam enim bene dicendi facultatē non artem esse uoluerunt,sed prudentiam. Et ipse M. Tullius in Partitionibus elegāter definit eloquētiam,copiose loquentem sapientiam. Nec dubitandum quin hoc eloquētiæ genus ipse sectatus sit. Ab hac formula,deus bone, quantum absunt isti,qui de rebus tota ratione diuersis,quas ipsas nec intelligunt, nec amant,more Ciceronis uolunt dicere. Quod autem nobis sordidum ac solœcū uidetur,quicquid à Cicerone dissonat, perniciosum ac mendax animi nostri somnium est, procul à nobis relegandum, si uelimus hoc laudis ferre inter Christianos, qđ Cicero tulit apud suos. Scribēdi recte sape est & principiū & fons, ait ille criticorū acutissimus. Fons igit̄ eloquētię Ciceronianæ quis tandem est? Pectus opulenter instructum uaria rerum omniū cognitiōe, præ-

ſertim earũ, de quibus inſtitueris dicere: pectus artis præceptionibus, tum multo ſcribendi dicẽdiq́ue uſu, diutina meditatione præparatũ: &, q̃d eſt totius negotij caput, pectus amans ea quæ prædicat, odio proſequens ea quæ uituperat. His omnibus coniunctum oportet eſſe naturæ iudicium, prudentiã & conſiliũ, quæ præceptis contineri non poſſunt. Hæc unde te rogo, ſuppetunt iſtis, qui nihil legunt præter Ciceronem, qui unũ hunc ſtudet Nocturna uerſare manu, uerſare diurna? NOS. Atqui non inſcite dictũ eſt, qui diutius in ſole uerſati ſunt, colorẽ ducere, & qui diutius in taberna aromataria conſederint, odorẽ loci ſecum ferre quũ diſcedunt. BVL. Mihi uero perplacet iſta ſimilitudo. Tincturã modo cutis ſecũ ferunt, & mox euaneſcentẽ aurulã. Hac gloria qui contenti ſunt, deſideant quantum libet in myrothecijs aut roſarijs Ciceronis, apricentur in illius ſole. Ego malim ſi quid eſt bonorum aromatũ demittere in ſtomachũ, traijcere in uænas, ut nõ ſolum uicinos odore leui aſpergã, ſed totus incaleſcam ipſe, uegetiorq́ue reddar, ut quoties res poſtulat, prodeat uox quæ ſani beneq́ue paſti hominis uideri queat. Ex intimis enim uænis, non in cute naſcitur oratio, quæ moratur auditorẽ, quæ mouet & in quemuis habitũ animi rapit. Non hæc eò dico, quod ex Ciceronis libris mediocrem aut pœnitendã rerum cognitionẽ colligi exiſtimẽ, ſed quod ad parandã orationis opulentiã in quouis argumẽto ſolus non ſufficiat. Quid igitur ſupereſt,

est, nisi ut ipsam etiam Ciceronis imitationē ex ipso discamus Ciceronē? Sic illū imitemur, quē admodum ipse est alios imitatus. Si totus in unius lectione desedit, si se ad unius præscriptū addixit, si potiorē habuit uerborꝫ q̄ rerꝫ curā, si non nisi nocte concubia scripsit, si se totum mensem in una torsit epistola, si quicq̄ putauit eloquens q̄d ad res non congrueret, faciamus eadē ut Ciceroniani simus. Sin hęc dissident plurimū ab exēplo Ciceronis, illius exemplo pectus supellectile rerum cognitu necessariarꝫ expleamus, ac prima sit sentētiarꝫ cura, deinde uerborꝫ, & uerba rebus aptemus, non contrà: nec inter dicendū usquàm oculos à decoro dimoueamus. Ita demū uiuida fuerit oratio, si in corde nascatur, nō in labijs natet. Artis præcepta non ignoremus: conferunt enim plurimū ad inuentionem, dispositionē, tractationē argumentorꝫ, & uitāda, quæ uel supersunt, uel officiunt causæ: sed quū erit agenda causa seria, primas teneat cōsiliū. Quanq̄ & in fictis causis, quæ exercitationis gratia tractantur, cōducit ueris esse simillima quæ dicuntur. Cicero scripsit animū Lęlij spirare in scriptis illius. Stultū est autē hoc conari, ut alieno scribas stomacho, desqꝫ operā ut in tuis scriptis spiret animus Marci Tullij. Concoquendū est, quod uaria diutinaqꝫ lectiōe deuoraris, meditatione traijciendum in uænas animi, potius q̄ in memoriā aut indicem, ut omni pabulorꝫ genere saginatum ingeniū ex sese gignat orationē, quæ non hunc aut illū florē,

frondem,gramen'ue redoleat:sed indolem affectusq; pectoris tui,ut qui legit non agnoscat fragmenta è Cicerone decerpta, sed imaginē mentis omni genere doctrinarū expletæ. Neminem priorū non legerat Cicero:quid quisq; probandū aut reprehendendū haberet,diligenter expenderat. At neminē illorū proprie agnoscas in Cicerone,sed uim mētis ex omniū sententijs uegetatæ. Si te parū mouet exemplū amasii tui, contēplemur exempla naturæ. Apes num ex uno frutice colligunt mellificij materiā? An potius ad omnes florū,herbarū,fruticū species mira sedulitate circumuolant, frequenter è longinquo petētes q̊d condant in aluearia? Nec statim mel est quod adferunt, fingūt ore uisceribusq; suis liquorē, ac in ipsas transformatū rursus ex sese gignūt, in quo non agnoscas, nec floris, nec fruticis delibati saporē, odorem'ue, sed apiculæ fœtū ex omnibus illis temperatū. Iam nec ijsdē frondibus pascunt capellæ,quo lac illis modo cognatū reddant,sed omni frondiū genere saginant:Itaq; non succum herbarū, sed lac ex illis transformatū referunt. NOS. Refert tamen,unde mellis succum colligat apis,aut qua fronde satientur capellæ. Siquidem ex taxo toxica mella cōficiunt,nec idē erit sapor lactis è capella quernis frōdibus & saliginis pastę. BVL. Veniamus ad artifices. Qui laudem prȩclarā ambiūt in arte statuaria graphica'ue, num ad unius tantū manus æmulationē addicūt sese? An potius quod in quoq; delectat, id arripiūt ad
artis

artis absolutionē, sic imitantes ut conent si queant anteire. Quid architectus parans insignē aliquam domū absoluere, num ex unis ædibus sumit omnia? Non opinor, sed cum iudicio deligit è plurimis, quod conspexerit esse felix. Alioqui nihil egregiæ laudis uidebitur assequutus, si spectator agnoscat hoc aut illud ædificiū imitatione redditum esse. Et tamen hic tolerabilius sit seruisse exemplari, q̄ in oratione. Quæ ratio est igitur, nos tāta superstitione uni Ciceroni addictos esse? Bis autē peccant qui non solū assident uni præscripto, uerumetiā nullis artis rhetoricæ præceptionibus instructi, nec aliū legunt q̄ Ciceronem, nec aliud q̄ legunt. Quid enim confert oculos in Ciceronem habere fixos, nisi admoueas artifices oculos? Quid enim mihi profuerit graphices ignaro, si totos dies spectē Apellis aut Zeusidis tabulas? Verū ubi didiceris recte dicendi præcepta, ubi deinde peritus quispiā artifex indicarit tibi in aliquot Ciceronis orationibus, in quibus plurimum artis expressit, colorē & statū, tū propositiones feliciter inuētas: tum harū ordinem, partitionem, tractationē, locupletationē, absolutionem, totius orationis in prooemio semina, tū coagmentationē singularū partium: Ad hæc cōsilium iudiciūq;, quod animaduerti potest, arte præcipi non potest: Item prudentiā oratoris, qd quo loco posuerit, qd quare omiserit, qd in quē locum distulerit: Tum quibus rationibus tractet affectus utriusque generis: Postremo lucem, co-

piam, ornatũ sermonis, tũ mira perspicies in Cicerone, quæ non perspicit sedulus ille contẽplator. Non enim imitatur artem qui non intelligit, nec intelligit nisi artifex. Arte confectũ opus interdum nonnulla uoluptate delinit & eos, qui artis sunt imperiti, sed quantulum est quod ille uidet? NOS. Et artẽ unde petes rectius q̃ à Cicerõe? BVL. Fateor, nemo tradidit felici9, nemo usus est absolutius, sed tamen accuratius præcepit Quintilianus, atq; etiam copiosius, qui non præcepta modo proponit, uerũ etiã elemẽta, progressum, rationem, usum, exercitationẽ ponit ob oculos, non pauca adijciens, quæ M. Tullius uel prætermisit, uel obiter attigit. Quod genus sunt de ratione concitandorum affectuũ, de generibus & usu sententiarũ, de modis amplificandi, de inuentione propositionũ, de partiendis ijsdem ac digerendis, de transmigratione & concursu statuum, de modo legendi, imitandi, scribendi. Verũ præceptiones ut ignorari non oportet, ita non conducit in his cõsenescere, quorũ anxia obseruatio facit ut peius dicamus, quum in hoc reperta sit artis ratio ut bene dicamus. Index ille peritus, multo plus contulerit, q̃ prçceptiones. Id conati sunt nonnulli tum apud Græcos, tum apud Latinos, sed, mea sententia, non admodũ feliciter. Cauendum est igitur ô Nosopone, ne, quod isti faciunt, uix degustatis præceptionibus, tantum assiduitate legendi Ciceronem, cõfidamus nos fore Ciceronianos. Nam hi si quid assequuntur Ciceronis,

nis, præter summã cutẽ, umbrã & auram modo quandã nihil assequũtur. NOS. Tales esse permultos haud inficior Bulephore, nec mihi placuit unquã illorũ ratio. BVL. Nec tua causa hæc moneo, mihi & Hypologo canitur hæc cantio, nunc & illud æquis iudicijs expendamus uir amicissime: Primum an deceat nos, deinde num operæpretium sit tantis uigilijs emere Ciceroniani cognominis honorem? NOS. Nihil honestius. Quod aũt honestum, idẽ non potest non esse decoꝝ. BVL. Vt de decoro disquiramus. Fateris opinor M. Tullij dictionẽ non placiturã fuisse seculo Catõis cẽsorij, quippe comptiorem magisq; lasciuientem q̃ illius ætatis moribus cõueniebat. Frugalis erat uita, frugalis erat oratio. Quin & ea ætate qua uiuebat Cicero, non deerant uiri priscã illã seueritatem adhuc spirantes, ueluti Cato Vticẽsis, & Brutus, & Asinius Pollio, qui seuerius quiddam, minus theatricum, magisq; masculũ requirerent in Ciceronis eloquentia, & tamen illis temporibus eloquentia florebat, ut quũ maxime, tum in populari conuentu, tum in confessu patrũ, tum in iudicijs, adeo ut ornamenta iucunditasq; dictionis & expectarẽt & exigeretur à iudicibus. Quod igitur paꝝ uirile ducebatur in Cicerone, nũ putas decorũ uideri Christianis, quorũ omnis uita magis spectat ad bene uiuendũ, q̃ ad ornate cõpteq; dicendũ: à quorum moribus oportet plurimum abesse, quicquid ad fucos & scenicam delectationem accedit? Sed fac esse decorum, Quos

fructus speras tãtis pares sudoribus? Finis totius huius studij est, persuadere. At quãto hic erat potẽtior Phocion q̃ Demosthenes, Aristides q̃ Themistocles, quãto efficacior Cato quàm Cicero, qui reos nõnunq̃ grauabat suo patrocinio, accusatione subleuabat. Nihil hic moror illa magnifice sane dicta, Pulchrius est esse Phidiam, quàm scriniariũ aut coquum, quum horũ opera magis necessaria sint reipublicæ q̃ signa Phidiæ. Pictorũ ac statuariorũ ars delectandis oculis reperta est, id ubi præstitit, absoluit munus. Eloquentia quæ nihil aliud quàm delectat, non est eloquentia, nimirum in aliud reperta, quod nisi præstat, nec decora uideri debet bono uiro. Verum ut olim fuerit utilis eloquẽtia Ciceronis, hodie quis est illius usus? An in iudicijs? Ibi res agitur articulis ac formulis, per procuratores & aduocatos, quiduis potius q̃ Ciceronianos apud iudices, apud quos barbarus esset Cicero. Neq; multo maior usus in cõcilijs, ubi singuli paucis aperiũt quod uidetur, idq; Gallice, aut Germanice. Maximæ uero res hodie per consiliũ, quod arcanum uocant conficiuntur: ad id uix tres homines adhibentur, illiterati fere: reliquis licet cõsultare. Iã etiã si res agerẽtur hodie Latine, quis ferret Ciceronẽ ea perorantem quæ dixit in Verrẽ, in Catilinã, in Clodiũ, in Vatiniũ testẽ? Quis senatus tam ociosus, tã patiens, ut perpessurus sit orationes quas dixit in Antonium, quũ in his tamẽ senilior sit, minus redundans, minus exultãs eloquẽtia? Itaq; cui tandem

dem usui paramus hāc operosam Ciceronis eloquentiam? Num concionibus? Vulgus Ciceronis linguam nō intelligit: & apud populū nihil agitur de republica. Sacris uero concionibus minime cōgruit hoc dicēdi genus. Quis igitur superest usus, nisi forte in legatiōibus, quæ Romæ pręsertim Latine peragunt, ex more magis q̄ ex animo, & magnificētiæ causa potius q̄ utilitatis gratia. In his enim fere nihil agitur rei seriæ, in laudibus eius ad quē mitteris, in testificatione beneuolētiæ illius à quo mitteris, & in locis quibusdam uulgaribus consumitur omnis oratio. Quid multis? Totū hoc eius generis est, ut rē magnā præstiteris, si speciē adulationis uitaris, quum ipsam adulationem nō liceat. Frigidius etiam est, quod huic ex more respondetur, interdū non sine graui tædio prolixæ dictionis, nonnunquā & pudore illius qui laudatur immodice: sæpe dicentis non pudore tantū, sed et periculo, dum sudat recitans quæ edidicit, dū hæret, dū sibi aliquoties excidit, uel obliuione, uel animi perturbatione. Quid aūt admirationis habeant tales orationes, quum ferè qui recitat, ab rhetore quopiam elaboratā edidicerit, ut ad oratorē nostrum nihil redeat laudis præter recitandi fortitudinē. Hic itaq; præter salutationis officiū nihil agitur, quod est seriū, priuatim literis et Gallicis colloquijs peragitur. Quod igitur theatrū petet noster Ciceronianus? Scribet epistolas ciceronianas? Ad quos? Ad eruditos. Paucissimi sunt, & hi nihil morantur Ciceronianam phrasim,

phrasim, modo sit sana, prudens, munda, doctaq; oratio. Ad quos igitur? Ad quatuor Italos q se nuper iactare cœperunt Ciceronianos, quum ut ostẽsum est, nihil sit Cicerõi dissimilius: uixq; tenuem umbrã habeant Ciceronis. Quod ipsum quicquid est, si minimo constaret, si præsto esset ultro, si non officeret maioribus commodis, fortasse non esset reijciendum. Nunc fac rationẽ tecum ineas, num hoc laudis sit tot uigilijs, tot sudoribus redimẽdum, non sine periculo ualetudinis, ut à quatuor ineptis Italis adolescentibus recipiaris in catalogũ Cicerõianoꝝ. NOS. Nõ probas bene dicendi studiũ? BVL. M. Tullius non requirit à philosopho eloquentiam. An quẽquàm existimas inter ethnicos philosophos tam seuerum, ut putes cuiuis Christiano præferendum? HYP. Imò tota Græcorum philosophia præ philosophia CHRISTI somniũ est ac nugamẽtum. BVL. Qua igitur fronte nos exigimus à Christiano Ciceronianam eloquentiã, hoc est & inimitabilem, & quã ethnici uiro graui uix decorã existimarunt? Nec statim male dicit, qui secus dicit q̃ Cicero dixit. Nec bene dicit qui non dicit apte. Ad hæc inutilis est armatura, quæ quũ tantum ad ostentationẽ ualeat, nec ad manũ est, ubi res uirum postulat. Interdũ res urget, ut eodem die uiginti scribamus epistolas. Quid hic faciet meus Ciceronianus? Ad hæc quotus quisq; nũc est, qui Ciceroniana phrasi capiatur? Quid quod Cicero uarius est in dicendo? Alius est, quum sermo

ne

ne remisso placidoq́ docet philosophiã, alius in actionibus causarum, alius in epistolis, in quibus fere neglectus est & illaboratus sermo, atque hoc ipsum decet epistolam, quæ in familiaris colloquij uicem successit. An non igitur præpostere fecerit, qui ea cura cõscribat epistolã de re familiari, qua Cicero meditatus est orationẽ pro Milone? Et nos epistolæ non longæ de rebus nõ ita magni momenti dabimus operã menstruã? Ne M. quidẽ Tullius tanti redempturus erat eloquẽtiam quã præstat in causis, si tot uigilijs constitisset, quanti nobis constat epistola, quũ illis tẽporibus tantus esset in rep. usus eloquentiæ, quũ hoc studiũ publice priuatimq́ floreret, quũ longe parabilior esset ea facultas. Iure risus est quidam qui multis diebus se torserat, nec adhuc potuerat orationis exordiũ inuenire, quod affectaret melius dicere q̃ posset. Est in Cicerone felix quædam facilitas, naturæ donũ: est natiua perspicuitas. Hoc si nobis natura negauit, quur nos ipsos frustra discruciamus? Quanto uero longius absunt à sana mente, qui tẽporibus alienis, qui rerum humanarum tota inuersa scena, quũ uix usquã sit Ciceronianæ dictionis usus, hoc uno studio se se macerant, ut uideãtur Ciceroniani, nec quicq̃ aliud q̃ Ciceroniani. NOS. Belle tu quidẽ rhetoricaris, uerũ hũc affectum non possum excutere, adeò penitus insedit animo meo. BVL. A mediocri æmulãdi studio te non reuoco, modo quà est optimus, hac æmuleris, modo æmuleris potius
quàm

q̃ ſequaris, modo ſtudeas æqualis eſſe uerius q̃ ſimilis, modo ne pugnes aduerſus genium tuum, modo ne ſic affectes cõgruere Ciceroni tuã orationem, ut rei, de qua loqueris, non congruat: ſuper hæc oĩa abſit anxietas, quæ nuſq̃ nõ eſt infelix, ſed haud alibi q̃ in dicendo infelicior. Poſtremo ne ſic affectus ſis, ut ſi quod ſequeris, nõ aſſequaris, uitã acerbã putes, nec uiuere libeat nõ Ciceronianos, quũ tot ſint hominum eruditorũ millia, qui ſine hoc titulo & uiui laudem egregiam, & mortui nominis immortalitatẽ ſunt aſſequuti. NOS. Hunc in modũ nunc quidẽ affectus ſum. BVL. Idem affectus & me quondam habuit, ſed ab eo morbo reualui. NOS. Quo tandem pacto? BVL. Adhibui medicum. NOS. Quem obſecro? BVL. Facundum & efficacem. NOS. Quem inquã? BVL. Ad quem nihil Aeſculapius aut Hippocrates. NOS. Enecas. BVL. Quo nemo paratior, nec amicior, nec fidelior, nec curat epar aut ſtomachum: hominis intima ſanat. NOS. Si nomẽ ædere grauaris, ſaltẽ indica pharmacũ. BVL. Et nomẽ & pharmacum ſcies, ὁ λόγος τῷ λόγῳ mihi medicatus eſt. HYP. Veriſſima prædicas. ψυχῆς νοσούσης ἐστὶν ἰατρὸς λόγος. BVL. Sic ab eo morbo reuixi Noſopone. Quod ſi uoles hic aliquantiſper eius quam prius geſſi perſonam ſuſcipere, ego τοῦ λόγου uices obiero. NOS. Suſcipio, quando ita uidetur. BVL. Quum me uehemens teneret morbi paroxyſmus, ſic adortus eſt medicus, queãdmodum nũc loquor tibi. Pudor, inquit, te malus urget infelix,

qui

qui ferre nõ possis conuiciũ cum tot hominum millibus commune. NOS. Quod nam? BVL. Quia negaris esse Ciceronianus. NOS. Isthuc me discru ciat fateor. BVL. At responde mihi per musas, quẽ mihi dabis Ciceronianum, præter unum Ciceronem? A ueteribus ordiamur. In oratorum catalo go quem perlongum in Bruto contexuit M. Tullius, uix duo sunt, quos dignetur oratorum titulo, tantum abest ut Ciceroniani uideri queant. Iã C. Cæsar Ciceronianus dici nõ potest, uel quia uixit ijsdem tẽporibus, uel quia longe aliud dicẽdi genus sibi proposuerat, contẽtus elegãter proprieq́ dicere. At hæc quantula est Ciceronis portio? Neq́ enim tam præclarũ est oratorẽ Latine dicere, q̃ turpe nescire Latine. Ad hæc nihil extat Cæsaris præter epistolas aliquot, & commentarios rerũ ab ipso gestarũ, quanq̃ eruditi de horũ autore uehementer ambigunt. Nulla certe extat oratio, quũ hic demũ excelluerit Cicero. Idẽ mihi dicere licet de M. Cælio, Planco, Decio Bruto, quorũ satis multas habemus epistolas Tyronis studio seruatas: Pauciores Cn. Pompeij, L. Cornelij Balbi, Lẽtuli, Cassii Dolobellæ, Trebonij, P. Vatinij, Seruij Sulpitij, Auli Cecinnæ, Bithynij, M. Bruti, Asinij Pollionis, C. Cæsaris, & si qui forte sunt alij, quos cõstat eadem ætate fuisse cum Cicerone, ut non magis cõueniat M. Cæliũ dici Ciceronianũ quàm Ciceronẽ Cælianũ. Nec in his epistolis quicquã cõgruit præter sermonis Romani dilucidam & inaffectatam elegantiã. At in hoc non

est

est totus Cicero, quē tibi proponis æmulandū. Quid enim nūc commemorē de Crispo Salustio, qui quum eiusdē fuerit ætatis, dictione dissimillimus est Ciceroni. NOS. Ne commemora mihi priscos illos horridos & impexos, quum nondum unà cum moribus enituisset eloquentia, nec eos qui pariter cum Cicerone decurrerunt: eos refer qui Ciceronem sequuti sunt. BVL. Age num tibi Seneca uidetur Ciceronianus? NOS. Nihil minus, præsertim in oratiōe soluta. Nam tragœdiæ quæ probantur à doctis, uix uidentur à Seneca scribi potuisse. BVL. Num Valerius Max. BVL. Tam similis est Ciceroni, quàm mulus homini, adeo ut uix credas uel Italum fuisse qui scripsit, uel hoc ætatis uixisse, tam diuersum est totum dictionis genus, Afrū quempiā esse dicas, nec ullū carmen laboratius. BVL. Quid Suetonius? NOS. Non paulo longius abest à Cicerōe q̄ Seneca, nec uerbis, nec structura, nec perspicuitate, nec figura dictionis, nec urbanitate referens M. Tullium. BVL. T. Liuiū hoc honore dignaris? NOS. Primum historicus est, deinde incompositus, nonnullis etiā Patauinitatem quandā resipere dictus est, hoc est, minus Romane dicere. BVL. Iam Corneliū Tacitum cōferre non audeo. NOS. Nec opus est. BVL. Fortasse Quintilianū recipies in hoc albū. NOS. Is affectauit etiam Ciceroni dissimilis esse, cuius utinā extarent declamationes: nam quas habemus minimū habent Ciceronis. BVL. Sed habeo quē non contemnas Quintū Curtiū. NOS. Historicus

ricus eſt. BVL. Eſt, ſed in hiſtorijs extant aliquot orationes. NOS. Cęteris candidior eſt, ſed nihil ad Parmenonis ſuē. Habet multas ſermonis formulas à Ciceronianis diuerſas. BVL. Si hūc rejcis, nō recipies opinor, Aelium Spartianum, Iulium Capitolinum, Aelium Lampridiū, Vulcatium Gallicanum, Trebelliū Pollionem, Flauiū Vopiſcum, Aurelium Victorē. NOS. In his uix eſt quod probes præter hiſtoriæ fidē, tantum abeſt ut eos Ciceroniani cognominis honore digner. Nā ægre tuentur ſermonis Latini caſtimoniam. BVL. En adeſt Probus Aemylius. NOS Candidus eſt laudator omnium quorū uitam deſcribit, ut encomiaſten dicas uerius quàm hiſtoriographū. BVL. At Ammianum Marcellinū fortaſſe recipies. NOS. Difficilis eſt in loquēdo, ac ſubinde compoſitio carmen moliri uidetur, quū dicit, ut captiuos redderet noſtros. Velleium Paterculū citius agnouerim, quāquam nec illum dignabor hoc honore. BVL. Minus, opinor, agnoſces epitomographos, Florum, Eutropiū & Solinum. NOS. Agnoſcam ſi quiſquam eruditus illos agnoſcit, hoc ſanè nomine, referunt enim quos imitātur. BVL. Verum retro mihi curſus flectēdus eſt, duos Plinios prętermiſimus, Maiorem ſcio nō feres hic nominari, Iuniorē fortaſſis admittes NOS. Imò qui ſunt huius cauſæ cēſores cū primis uetāt contingi ab adoleſcentibus huius epiſtolas, ne pro Ciceronianis euadant Pliniani. BVL. At felicius ſcripſit orationem qua Traianū laudat, NOS. Feliciſſime, ſed Ci

r cero-

ceronem non exprimit. BVL. Poëtas sciens prætereo, facile diuinas quid sis responsurus, etiamsi clarissimos ac felicissimos omniũ proposuero, Vergilium, Horatiũ, Ouidium, Lucanũ, & Martialem. NOS. In Horatio nullũ Ciceronis uestigiũ, in Vergilio nonnullũ, licet obscurum, Ouidius inter poëtas Cicero uideri posset, Lucanus dictus est oratori quàm poëtæ similior, sed alienissimus ab imagine Ciceronis, Martialis ad Nasonis facilitatem plurimũ accedit, & aliquid Ciceronianæ laudis illi poterat tribui, ni in libros aliquot epistolis præfatus esset, deum immortalẽ, quàm non Ciceronianis. BVL. Quid si proferam Lucretiũ? NOS. Eadem opera profer & Enniũ & Lucilium. BVL. Auli Gellij candidissimam phrasim mirantur eruditi. NOS. Nec argumentum conuenit nec phrasis, primum affectata, & uerborũ copia pene superfluens, rerum supellectile frugalis. BVL. En tibi Macrobius. NOS. Aesopicam corniculam mihi nominas, ex aliorum pannis suos cõtexuit centones, itaq; sua lingua non loquitur, & si quãdo loquitur, Græculum Latine balbutire credas. Quod genus est illud ex commẽtario in somniũ Scipionis secundo. Et hoc esse uolunt quod Homerus, diuinaruꝫ omnium inuentionũ fons & origo, sub poëtici nube figmenti, uerꝫ sapiẽtibus intelligi dedit. BVL. At Symmachum in epistolis argutum admirãtur quidã. NOS. Admirent, quibus studio est moleste potius q̃ bene dicere. BVL. Sed heus, Apuleius nobis præteritus est. NOS. Hũc Ciceroni

ceroni cõferã, quum libebit graculũ cõparare lu ſciniæ. BVL. Sit ſane, in aſino & floridis, at in Apo logijs accedit. NOS. Minus quidẽ abeſt, ſed immẽ ſo ſequit̃ interuallo. Cæteꝝ & Martianũ Capellã oblitus es, ſi tales libet proferre. BVL. Quid ſi ue niamus ad ſemichriſtianos? Quis tibi uidet̃ Boẽ tius? NOS. Egregius philoſophus, poëta nõ peſſi mus, à Ciceronis dictione longe ſemotus. BVL. Quis Auſonius? NOS. Ingeniũ ac doctrinã tribuo, ſtilus aulæ delicias licentiãq; reſipit, quẽadmodũ & uita. ciceronianus nõ eſt, ut ſtudio habuiſſe ui deat̃ aliter dicere q̃ dixit Cicero. Proinde qui Ci ceroniani nomẽ illi uelit aſſcribere, pro honore cõtumeliã irrogarit homini, nõ aliter q̃ ſi qs Ger manũ appellaret, q ſtuderet haberi Gallus, etiã ſi Germanus eſſet. BVL. Ne te lõgis ambagibus cir cumagã, ueniam⁹, ſi uidet̃, ad Chriſtianos, ſi quẽ forte reperiamus, q Ciceronianus dici mereat̃. In ter hos opinor probabis Lactantiũ, qui Cicero nianæ eloquẽtiæ lacteo flumine manare dictus eſt. NOS. Dictus, ſed ab eo q ciceronian⁹ nõ erat. BVL. ueꝝ illud inficiari nõ potes, Lactantiũ Cice ronis eloquentiã affectaſſe. Id declarat in tertiũ Inſtitutionũ librũ p̃fatio, in qua defenſurus Chri ſtianæ philoſophiæ ueritatẽ, optat eloquentiã, ſi non Tullianã, certe Tullianæ proximã. NOS. Nec prorſus infeliciter affectauit, q̃q̃ aſſecutus non eſt. BVL. Qui ſic? NOS. Quoniam in prima ſtatim operis præfatione ſic locutus eſt: Alioqui nihil inter deum hominem'que diſtaret, ſi conſilia &

dispositiones illius maiestatis æterna, cogitatio assequeretur humana. vbi cicero dixit dispositiones pro decretis? B V L. Imò dū Ciceronianus esse studet, factus est Ciceroni dissimilis. Est enim hoc Ciceronis, rem eandē duabus uocibus idem aut propemodū idem significantibus inculcare. Hinc est illud, cōsilia & dispositiones. Qui scis an & uocalium hiatū captarit, ut Ciceronianus esset, in cōsilia: & rursus in, cogitatio assequeretur. Fortassis & compositionē affectauit, scazontis clausula, cōma finiens, uelut in balneatore & archipirata. Cuiusmodi clausulis frequenter utitur in eadē præfatione, ut in prima statim periodo, inhærere: & rursus, instruere possimus: ac mox, apud Græcos: atq; iterum, luce orationis ornata: & αὖθις αὖ, honesta suscepta: mox, & honorasti: nec multo post, nominis tradat: iterum, ut sequerentur hortarer: item aliquanto post, reliquerūt. Hoc certe Tullianum habet, quod subinde ditrochæo finit, ut cōtulerūt, cōuocamus, sopiamus, inchoamus: semel ponit in clausula, quæsisse uideatur. Hæc indicant illum magno studio ciceronis imaginē affectasse. Verū hoc nomine iustius reijceres Lactantiū à titulo Tullianorū, quod nec eruditionē, nec uim, nec pectus attulerit ad defensionem philosophiæ Christianæ, quæ M. Tullius attulit ad actionē causarum ciuiliū. B V L. E're liquorum numero quē primum aut ultimū proferā? Cyprianum? N O S. Christiane scripsit uerius quàm Ciceroniane. B V L, Hilariū? N O S. Ohe, nihil simile.

simile. Difficilis est & obscurus in eloquendo, & gallico, ut inquit ille, cothurno attollit, uerba quoque multa secum trahens, quæ non sunt Tullianæ puritatis. BVL. Sulpitius opinor, uidebitur hoc honore dignus. NOS. Est ille quidem & mollior, & iucundior, & dilucidior, & illaboratior Hilario, sed phrasis Gallum fuisse declarat. Non deest pietas, sed abest uis & grauitas: & est floridum dicendi genus magis quàm neruosum. BVL. Tertullianum igitur admittes? NOS. Irrides: Is prudens ac sciens obscurauit malis uerbis bonas sententias, uel ipso durior Apuleio. BVL. Certe facundissimum illum simul & doctissimum Hieronymum non repelles. NOS. Agnosco uirum doctrina facundiaque præcellentem, Tullianum non agnosco, qui flagris ab imitatione Ciceronis depulsus est. BVL. Augustinum igitur? NOS. Is hoc habet Ciceronis, quod prælongo ambitu circumducit periodum, præterea non multum, nec facilitatem in dicendo, nec felicitatem in tractando reddit. BVL. Paulinum? NOS. Vix umbram habet Ciceronis, nec sententiis, nec uerbis admodum felix. BVL. Ambrosium igitur. NOS. Romanum oratorem agnoscas, non Ciceronianum. Gaudet argutis allusionibus, acclamationibus, nec præter sententias quicquam loquitur: membris, incisis, comparibus numerosus ac modulatus, suum quoddam dicendi genus habet, aliis inimitabile, sed à Tulliano genere diuersissimum. BVL. Saltem agnosce Romanum Gregorium, eius nominis inter pont. primum. NOS. Agnosco uirum pium,

ea loquentẽ quæ sentit. Et hic propius accedit ad M. Tullium q̃ Ambrosius, sed fluit lutulentus, & Isocraticæ structuræ quasi seruit oratio, quod est à Cicerone alienũ. Sic enim puer in scholis assueuerat. BVL. At Tusci Leonis, qui fuit eius nominis primus Romanæ urbis Pontifex, eloquentiã mirantur omnes. NOS. Est fateor huius bene numerosa, satisq; perspicua dictio, nec ineptis sensib⁹, sed nihil ad Ciceronem. BVL. Quid si tibi Bernardum è Burgundionibus adducam? NOS. Agnosco uirum bonum, quæ pars est oratoris, natura compositum ad urbanitatem & ad dictionis lepôrem, sed adeo non Ciceronianũ, ut ex scriptis uix suboleat unq̃ illi lectum Ciceronẽ. BVL. Posteaq̃ hunc reijcis, non ausim tibi proponere Bedam, Remigiũ, Claudium, Hesychiũ, Anselmũ, Isidorum. NOS. Desine mihi χολοβώτας istos cõmemorare, quum aliena lingua loquantur: Deteriora faciunt quæ referunt: dum sua promunt, uix loquũtur. In his ægrotabat eloquẽtia. BVL. At uereor ne mortuã dicas, si posteriores commemorauero. Prætermittã igitur Alexandrũ Halensem, Petrum Gandauensem, & huius farinę scriptores innumeros: duos κορυφαίους proferã, Bonauẽturã & Thomã. NOS. Bonauentura satis affluit uerbis, sed qualibuscunq;, Thomas Aristotelicus prorsus est, ἀπαθὴς in dicẽdo, tantum hoc agẽs, ut doceat lectorem. BVL. Verum, in quæstiõibus: cæterum ubi rhetorem aut poëtam agit, satis spirat Ciceronem. NOS. Quæ mihi narras poëmata? Mihi ue-

ro nusquam uidetur infantior, quàm quum affe ctat oratoriæ dictionis fluxum, id quod facit in tractāda materia de eucharistia. Sed age missos fac theologos istos scholasticos, à quibus frustra requiras eloquētiam, nedum Ciceronianā: alios profer si quos habes. BVL. Age redibim⁹ ad aliud scriptorꝵ genus nostro seculo uicinius. Nam aliquot ætatibus uidetur fuisse sepulta prorsus eloquētia, quæ nō ita pridē reuiuiscere cœpit apud Italos, apud nos multo etiā serius. Itaqꝫ reflorescētis eloquētiæ princeps apud Italos uidetur fuisse Frāciscus Petrarcha, sua ętate celebris ac magn⁹, nūc uix est in manibus: ingeniū ardēs, magna rerum cognitio, nec mediocris eloquēdi uis. NOS. Fateor. Atqui est ubi desideres in eo linguæ Latinæ peritiam, & tota dictio resipit seculi prioris horrorē. Quis aūt illū dicat Ciceronianū, qui ne affectarit quidē? BVL. Quid attinet igitur referre Blondū ac Boccatiū, hoc inferiores tū in dicendi uiribus, tū in Romani sermonis proprietate? Ne Ioannem quidē Tortelliū audies. NOS. Nō audiā in his quidē comitijs. BVL. Hūc sequutus est ingens prouētus eruditorꝵ certatim sese ad Ciceronis imitationem componētium. Ecquem ex hoc numero dignaberis istius cognominis honore? Num Franciscū Philelphū? NOS. Planè dignarer, si tam placeret eruditis omnibus q̄ placuit sibi. Et affectauit quidē ille sedulo Cicéronis effigiē, sed parum feliciter. Nec usquā illi dissimilior est, quàm ubi maxime oportuit esse similem, nimirū

in orationibus. Nam in epistolis satis adumbrat M. Tullium. Necq̃ hæc dixerim in cuiuspiam cõtu meliã. Agnosco uiros æterna posteritatis memoria dignos, ac de studijs optime meritos: sed diuinum quiddã est esse Ciceronianum. BVL. Leonardus Aretinus mihi uidetur alter Cicero. NOS. Facilitate dictionis ac perspicuitate satis accedit ad Ciceronem, sed neruis alijsq́ uirtutibus aliquot destituitur: alicubi uix tuetur Romani sermonis castimoniã, alioqui uir doctus iuxta ac probus. BVL. Guarinũ sat scio non recipies, nec Lapũ, nec Accioialum, nec Antoniũ Becariã, nec Franciscũ Barbatium, nec Antoniũ Tudertinũ, nec Leonardum Iustinianũ, nec Achillem Bochium, & si qui sunt qui mihi nunc nõ succurrũt, maxime quod horum pleriq̃ non alio monumento nobis innotuerunt, quàm uertendis Græcis, ubi nulla laus inuentionis, quæ præcipua pars est eloquentiæ. NOS. Istorum neminẽ contemno, neminẽ tamen dignabor Tulliani cognominis honore. BVL. Proferam itaq̃ Pogiũ Florentinũ, uiuidæ cuiusdã eloquentiæ uirũ. NOS. Naturæ satis erat, artis & eruditionis nõ ita multũ: interim impuro sermonis fluxu, si Laurentio Valæ credimus. BVL. Valã igitur in illius locum substituamus. NOS. Is propius accedit ad curam ac subtilitatẽ Quintiliani, q̃ ad illaboratam Ciceronis facilitatẽ, quanq̃ cæteris elimatior puriorq́. BVL. Multos prætereo sciens, quorum nomina sat scio non ferent aures tuæ: eximios tantũ refero. Si quẽ alium, certe magnũ

illum Hermolaũ Barbarum in huius cognominis honorem admittes. NOS. Vere magnũ ac diuinũ hominem protulisti, sed in dicendo Ciceroni dissimillimum, & ipso pene Fabio Plinioq́ elaboratiorem, cuius eloquentiæ nonnihil offecit philosophiæ studiũ. BVL. Quid Ioannem Picũ Mirandulę comitẽ? NOS. Indolem plane diuinã narras, ingeniũ ad omnia factũ, sed huius quoq; dictionem nonnihil uitiauit linguarũ ac philosophiæ atq; etiã theologiæ cura. BVL. Nosti gẽtilẽ huius Franciscum Mirandulanũ. NOS. οὐδ' ἐγγὺς, aiunt, nimium theologus est. BVL. Bene habet, unum, ni fallor, reperi, quẽ non reijcies, Angelũ Politianũ. Nam Marsiliũ Ficinum proferre non audeo. NOS. Fateor Angelũ prorsus angelica fuisse mente, rarum naturæ miraculũ, ad quodcunq; scripti genus applicaret animũ, sed nihil ad phrasim Ciceronis, diuersis uirtutibus suspiciendus est. BVL. Si producã in hunc ordinem Codrũ Vrceum, Georgium Trapezontiũ, si Theodorũ Gazam, Ianum Lascarem, Georgiũ Mærulã, M. Musurũ, Marullũ, prope diuino quid dicturus sis. Submouebis ab hoc certamine totũ Græcorũ genus, quibus inuisus est tuus amasius Cicero. Verũ nolim in his comitijs habere suffragiũ, iram, odium, aut amorẽ. NOS. Nec habebunt. De Iano, quoniam adhuc superest, dicendũ est parcius: Morum comitate generis nobilitatẽ præ se fert, acri iudicio uir, multę in epigrammatibus argutiæ: poterat inter Ciceroniani cognominis cãdidatos numerari, ni cre-

bræ legatiões ac regum negotia reuocassent ho minē à Musis. Codro nec Latinæ linguæ facultas deerat, nec urbanitas, uerū homo non dissentiēs ab Epicuro, neglexit hanc laudem, ut non uulgarem, ita nec paruo parabilē. Georgiū Trapezontium fateor uirū egregie doctum, deq́ re literaria pulchre meritum. Et hoc absolutiorē Theodorū Gazā, quorū ille se ad Ciceronis dictionē effingēdam studio cōposuisse uidetur, hic Aristotelem exprimere maluit, quo non alius felicior, siue uerterit Græca Latine, siue Latina Græce: quum sua loquitur, duo quædam obstrepunt delicato lectori, philosophiæ studiū, in quo totus erat, & illud γνήσιον Græci sermonis, quod Latine loquentes sequi solet, ac uix unquàm dediscit. B V L. Quid uetat quo minus Græcus absoluat Romanam linguam, si Britannis ac Phrysonibus hoc contigit? præsertim quū sermo Græcus tum in uerbis, tum in tropis plurimam habeat affinitatē cum Latino. N O S Quid Britannis ac Phrysonibus contigerit, alijs æstimandū relinquo: mihi uidetur affinitas sermonis obstare puritati. Citius enim pure Romane loquetur Hybernus, q̄ Gallus aut Hispanus. Quemadmodū citius Gallus discet Germanice loqui pure, q̄ Italice aut Hispanice. Sed pergam, Georgium Merulam Alexandrinū esse scio, an Græcus fuerit nescio, uir in reddendis Græcis splendidus & elegans, ut cum ueteribus multis conferri queat. Marulli pauca legi, tolerabilia si minus haberent paganitatis. M. Musurum pro-

pius noui, uirum insigniter eruditum in omni disciplinarum genere, in carmine subobscurum & affectatū, oratione prosa præter unā alteram'ue præfationem nihil quod sciam reliquit: mirabar hominē Græcum tantum scire Latine. Et hūc fortuna retraxit à Musis: Dum Leonis fauore Romā accitus, incipit Archiepiscopus esse, fato præreptus est. BVL. Recipies igitur Pomponiū Lętum. NOS. Is elegantia Romani sermonis contentus, nihil affectauit ultrà. BVL. Platynam igitur? NOS. In historia ualiturus erat, si nactus fuisset argumentum felicius. In optimo ciue & Panegyrico nonnihil accedit ad Ciceronis imaginem, sed tāto interuallo, ut hoc cognomen non promereatur eruditorū calculis, alioqui uir doctus, facundus & bonus. BVL. Quid Philippū Beroaldū maiorē? Video, abnuis, id sciebā fore. NO. Imò annuo, si mihi cōmendas hominē de literarꝫ studijs pręclare meritum: sin postulas eū in Ciceronianorū asscribi catalogum, abnuo. Philippum Beroaldū iuniorē citius recepero, quanq̄ is perpauca misit in literas. BVL. Iam frustra tibi recenseam Georgium Valam, Christophorum Landinū, Mancinellum, Petrum Marsum, Baptistā Piū, Corneliū Vitellium, Nicolaos Leonicenum & Leonicum, Bartholomeum Scalam, Paulum Cortesium, Petrum Crinitum, Iacobum Antiquarium. NOS. Vt tu farragine quadam confundis diuersos: Mancinellos, Vitellios ac Marsos sile, quum agitur de eloquentia. Baptista Pius suo more loqui conatus

natus eſt. Scala ſibi uidebatur Tullianus, Politia-no ne Latinus quidē uidetur, adeo ut ne ſenſum quidē communē illi tribuerit. De Paulo Corteſio poſt dicetur. Petrus Crinitus multū abeſt à charactere Ciceroniano, quanquam hominis eruditiōem amplector. Leonicenus medicus erat, non rhetor. Leonicus in adytis philoſophiæ, præſertim Platonicæ, ſemper religioſe uerſatus, ad Platonis ac Ciceronis Dialogos effingendos ſeſe compoſuit, & præſtat eloquentiæ tantū quantū fas eſt hodie à tali philoſopho requirere: Ciceronianus appellari nec ipſe cupiat, ni fallor. adhuc enim ſupereſt, uir non minus integris moribus, quàm eruditione recondita. BVL. Quid de Domitio Calderino? NOS. Bona ſpes erat, ni Romanæ delitiæ, mox præpropera mors intercepiſſet iuuenis bene cœptū in ſtudijs curſum. BVL. Porrò Scipionē Carteromachū. NOS. Agnoſco uirū citra oſtentationē in utraque literatura doctū: cæterū ex his quæ ſcripſit non apparet illū affectaſſe Tullianā eloquētiam. BVL. Non reijcies opinor Hieronymū Donatum Patritiū Venetum. NOSO. Epiſtolæ, quod pene ſolum illius habemus, declarant illū quiduis præſtare potuiſſe, ſi uoluiſſet huc animū intendere, ſed reip. negotia diſtraxerunt hominem ab otio literario. BVL. Agnoſcis Antoniū Sabellicū. NO. Agnoſco natura facundū, nec artis expertem, nec infeliciter rhetoricatur interdū. In hiſtoria ſat ſplendide uerſatus, ſed in hac tantum, quæ ſuum dicendi genus deſiderat. BVL. Hactenus de

mor-

mortuis plerisq́, nunc uiuorum, ut aiunt, meminisse oportet, de quibus fortasse uereberis quid sentias proloqui. NOS. Minime, quandoquidem fateor hoc laudis uix ulli mortaliũ adhuc contigisse. BVL. Nosti Paulum Aemylium? NOS. Hominis & reconditam eruditionem, & diligentiã, & uitæ sanctitatem, & summam in historia fidẽ exosculor: Tullianam dictiõem nec affectauit, nec habet. BVL. Profero Baptistam Egnatiũ. NOS. Virum non minus probum & integrum q̃ eruditũ & eloquẽtem nominasti, sed cui Tulliani cognominis honorem negant doctorum suffragia. Docte loqui maluit q̃ Ciceroniane, & quod uoluit assequutus est. BVL. En tibi Paulum Bombasiũ. NOS. Equidẽ exosculor Paulũ Bombasiũ prorsus aurei pectoris hominem, quo uix alius unquàm uixit amico amicior, sed ualetudini parcens non admodum indulsit stilo. Mox ut erat animi minime abiecti, sordidorum competitorum improbis contentionibus offensus. Nam Bononiæ publico salario Græce profitebatur, ad reipublicæ negotia sese contulit: tandem accitus Romã, augere rem maluit quàm literis insenescere. BVL. Fortassis æquior eris iunioribus. Quid censes de Andrea Alciato? NOS. Referã qd eruditi sentiant, qui propius hominem nouerũt quàm ego. Quã laudem M. Tullius partitur inter Q. Sceuolam, & L. Crassum, quorum hic dictus est eloquentium iurisperitissimus, ille iurisperitorum eloquentissimus, totam in hunc unum competere iudicãt.

Quid possit eloquentia, declarauit in præfatiõe, quam Cornelio Tacito præfixam legimus. Nam in annotationibus docere proposuit, non rhetoricari. B V L. Ex Italis, opinor, non ita multos prætermisimus memorabiles. Sed heus, occurrit Hieronymus Aleander nuper fauore Clementis VII. Archiepiscopus Brundusinus, quẽ fortasse præteritũ non oportuit in hac recensione. N O S. Quid is possit in hoc genere, nõ satis liquet ex his quæ scripsit. Nam & admodũ pauca uenerunt in lucẽ, in quibus ipsis non uidetur hanc laudem ambisse, & iam pridem ciuilia bellicaq; negotia aliò rapuerunt hominem peritia linguarũ eleganter instructum, ac prorsus indignũ qui prophanis negotijs seruiat. B V L. Equidem arbitror Albertum Carporũ principẽ, propius ad Tullianã phrasim accedere q̃ Aleandrũ. Nihil hic ædidit hactenus; unicum duntaxat librum, aut si mauis prolixam epistolam ab illo scriptam uidi. N O S. Accedit ille quidẽ, quatenus licuit homini in theologicis ac philosophicis literis ab adolescentia uersato. B V. Vides q̃ multos celeberrimi nominis scriptores commemorarim Nosopone, quorum nemini fateris Tulliani cognominis decus obtigisse. Fortasse nonnulli fallunt meam memoriam, tu suggere, si quos nosti Hypologe. H Y P. Duos Cælios, Rhodiginum & Calcaginum, nescio an uolens prætermiseris. B V L. Planè imprudens. N O S. Rodiginus uir erat pius & uariæ lectionis, in eloquentiæ certamen haud quaquàm asciscendus: alter

tum eruditione, tum eloquentia superior, stilus elegans & ornatus, sed nonnihil resipiens philosophiam scholasticam, quæ res hactenus officit, non ut non possit inter facundos numerari, sed ne inter Ciceronianos. BVL. Pauculos prætereo sciens, ad quorum commemoratione ipsa se nos reducet oratio tempestiuius. Interim si placet, in Galliam & olim & hodie studijs florentissimam aliquantisper migremus, ex ea duntaxat præcipuos relaturi, qui nuper scriptis in lucem æditis eloquentiæ laudem emeruerunt. Robertus Gaguinus non ita pridem habitus est magni nominis, dictione tamen q̃ scriptis uendibilior. NOS. Verum, suo seculo, nunc uix inter Latine loquentes reciperetur. BVL. Quid commemorem duos fratres Ferdinandos? NOS. Non feram. BVL. Quid si Guidonem Iuuenalem? NOS. Multo minus. BV. Quid si Iodocum Badium? NOS. Istum citius admiserim in hoc laudis certamen, q̃ Guilhemũ Budæum, nec infeliciter omnino cessit conatus Badio, felicius tamen cessurus, nisi curæ domesticæ reiq; parandæ studium interrupissent otium illud Musis amicũ, huius laudis candidato necessarium: utcunq; Guilhelmus Budæus eximijs uarijsq; dotibus suspiciendus est. BVL. Iacobus Faber habetur celebratissimus. NOS. Vir pius & doctus, sed qui theologice dicere maluerit, q̃ Tulliane. BVL. Ioannem Pinum fortassis agnosces. NOSOPO. Posset inter huius laudis competitores numerari, nisi & hunc negotiorum tumultus à

studijs

studijs auulsissent. Olim certe præclarum sui specimẽ dedit. BVL. Agnoscis Nicolaum Beraldum. NOS. Agnosco dictionis illaborato fluxu Pino nõ dissimilem, uerum is in hoc genus nunq̃ neruos intẽdit suos, dicendo q̃ scripto felicior. Quid possit satis diuino, sed est magni laboris fugitantior. BVL. Franciscũ Deloinum nõ uererer obijcere, si se talem præstare potuisset in oratione libro'ue, qualem se præstitit in epistolis ex tẽpore scriptis ad amicos. Quod sane prodigij simile uideri possit in homine qui seculo non admodũ infelici, to tam pene ætatẽ in Accursiis, Bartholis ac Baldis contriuisset. In literis politioribus & senex & feliciter repubuerat. Hunc nuper mors terris eripuit, ipsi quidẽ matura, senex em̃ mortuus est, studijs uero quibus euehendis ornãdisq; uir optimus natus uidebatur, præpropera. Superest Lazarus Bayfius, qui unico libello de uestibus eoq; non magno magnã laudem meruit, summamq; spem de se præbuit, si quo cœpit cursu pergat, in literarũ stadio. Quanq̃ ad docendũ appositus, argutus esse mauult, ut uidetur, & Atticus q̃ Ciceronianus. BVL. De Ruello quid sentis? NOS. Quod peritissimo rei medicæ dignũ est, in uertẽdis Grę cis religiosæ fidei. Hoc laudis maluit, q̃ haberi Tullianus. BVL. E Gallijs igitur si uidetur iter flectamus in Angliam, nõ infelicẽ ingeniorũ altricem. Sed Germanũ Brixiũ pene præterierã. Non ignoras uirum pari dexteritate in utraq; lingua, siue carmen pangere uelit, siue prosam orationẽ condere:

dere: nec minus felicē Græcis in linguā Latinam transferendis. An'ne hunc quidem recipies inter Tullianos? NOS. Ille quidē adhuc in cursu est, copiam & lucē assequutus est, in nonnullis tamen M. Tullio dissimilis, sed ita ut bonā de se spem præbeat, si ut facit totū se huic studio dediderit. Interim lubet grauiter currēti applaudere. BVL. Nūc igitur in Britaniā, quæ quum multos habeat Tullianæ dictionis cādidatos, tantū eos nominabo qui scriptis innotescere uoluerūt. Si Guilhelmum Grocinum proferā, respōdebis nihil illius extare præter unicā epistolam, elaboratā sane & argutam ac bene Latinā: Maluit enim nihil scribere, q̄ nihil uidere, homo natura lusciosus. Ad epistolarem argutiā appositus, laconismū amabat, & sermonis proprietatē, diceres Atticū in hoc sane genere: nec aliud affectauit, ciceronis copiam ferre non potuit, si quando legeret illius libros. De hoc igitur non contendā. Sed Thomā Linacrum non uerebor proponere? NOS. Noui uirū undequaq; doctissimū, sed sic affectū erga Ciceronē, ut etiā si potuisset utrūlibet, prius habuisset esse Quintiliano similis q̄ Ciceroni, non ita multo in hunc æquior, q̄ est Græcorum uulgus. Vrbanitatē nusq̄ affectat, ab affectibus abstinet religiosius q̄ ullus Atticus, breuiloquentiā & elegantiā amat, ad docendum intētus, Aristotelē & Quintilianū studuit exprimere. Huic igitur uiro per me quātum uoles laudum tribuas licebit, Tullianus dici non potest, qui studuerit esse dissimilis. BVL. Restat

Ricardus Paceus. NOS. Is quidem inter Tullianæ facundiæ cãdidatos censeri poterat, nisi nimium illi placuisset extẽporalis illa scribendi celeritas, & nisi mox iuuenem è medio studiorũ cursu pontificum ac regum negotia, prophanis curis propemodum obruissent. BVL. Ab Anglia migrabo, si tibi Thomam Morum produxero. NOS. Fateor ingenium felicissime natum, & quod nihil non potuisset efficere, si totum his studijs uacare licuisset. Cęterũ illo puero uix tenuis odor literaturæ melioris demigrarat in Angliam. Deinde parẽtum autoritas ad leges eius gentis discẽdas, quibus nihil illiteratius, adegit, mox in causis agendis exercitatus, hinc ad reipublicæ munia uocatus, uix succisiuis horis respicere potuit ad eloquentiæ studia. Tandẽ in regiã pertractus, & regni regiorũq; negotiorũ undis immersus, magis amare potest studia, q̃ colere. Et tamẽ dicẽdi genus quod assequutus est magis uergit ad Isocraticam structurã ac dialecticã subtilitatẽ, q̃ ad fusum illud Ciceronianæ dictionis flumen, quãquã urbanitate nihilo M. Tullio inferior est. Quoniam aũt adolescẽs diu uersatus est in poëmatibus scribendis, poëtã agnoscas & in oratione prosa. BVL. Angliã igitur relinquamus, neq; enim nominabo Guilhelmum Latamerũ, aut Reginaldum Polũ, quorũ prior uir pius theologiam absoluere maluit quàm Ciceronianam eloquentiam, alter ciceronis admirator summus, & æmulator nõ infelix, nihil adhuc suo nomine uoluit in lucẽ prodere.

dere. Quanq̃ in epiſtolis familiaribus ſatis declarat quid ualeat, ſed non traducã ea, quibus ipſe lucem nõdum tribuit. Alioqui habet innumeros ea inſula, ſummæ ſpei iuuenes, ſed interim cẽſorem agimus nõ diuinum. Quid aũt mirũ illic efflore-ſcere iuuẽtutem, ubi rex ipſe nõ ſolum præmĳs excitat bene nata ingenia, uerũ etiã exẽplo ſuo quãlibet pigris ſubdit calcaria, duobus iam libellis teſtatus, quantũ & faueat pietati, & ingenio facũdia'que polleat. NOS. Ego ſané libellos iſtos maiorem in modum admiratus ſum, nõ abhorrentes à dictione Tulliana, niſi quod argumentũ & regia dignitas ſuum quoddam eloquendi genus deſiderare uidetur. BVL. Quid ſupereſt igitur, niſi ut hinc nauigemus in Hollãdiam. NOS. Prius in Scotiam cenſeo. BVL. Non grauarer, ſi quem illic noſſem quem te laturum exiſtimem. In Daniam malo, quæ nobis dedit Saxonem grammaticum, qui ſuæ gentis hiſtoriam ſplẽdide magnificeq́ꝫ contexuit. NOS. Probo uiuidum & ardens ingenium, orationẽ nuſquam remiſſam aut dormitantem, tum miram uerboꝝ copiam, ſententias crebras, & figuraꝝ admirabilẽ uarietatem, ut ſatis admirari nõ queã, unde illa ætate homini Dano tãta uis eloquẽdi, ſed uix ulla in illo ciceronis lineamenta. BVL. Igitur in Hollandiam. NOS. Imò prius in Zelãdiam, ne quem prætereas. BVL. Alit & illa regio quædam dextra ingenia, ſed pleraque luxu obruuntur. Hinc ſané tibi profero Adrianum Barlandum, in cuius ſcriptis agno-

ſcas cãdorem ac facilitatem Tullianæ dictionis.
NOS. Accedit hac ſane parte, ſed totum Ciceronẽ
non exprimit. BVL. E Zelãdia facilis curſus eſt in
Hollandiam, haud infœcundam bonorũ ingenio
rum parentẽ, ſed nec honos habetur eloquẽtiæ,
& uoluptates non temere ſinunt indolem matu-
reſcere. Hinc tibi proferã Eraſmũ Roterodamũ,
ſi pateris. NOS. Profeſſus es te de ſcriptoribus di-
cturum. Iſtum uero ne inter ſcriptores quidẽ po
no, tantũ abeſt ut Ciceronianis annumerẽ. BVL.
Quid ego audio? Atqui uidebatur & inter πολυ-
γράφους cẽſeri poſſe. NOS. Poteſt, ſi πολυγράφος eſt,
qui multum chartarũ oblinit atramẽto. Alia res
eſt ſcribere quo de nos agimus, & aliud ſcriptorũ
genus. Alioqui qui manu deſcribendis libris quæ
ſtum faciunt, ſcriptores dicẽtur, quum hos erudi
ti malint librarios dicere. At hoc eſt nobis ſcribe-
re, q̃d agro fructũ producere, hoc nobis lectio,
quod agro ſtercoratio: hoc nobis concoctio &
emendatio, quod in agris occatio, paſtinatio, pu-
tatio, zizaniorũ euulſio, ac reliquę operę ſine qui
bus aut non emergit ſementis, aut non adoleſcit
exorta. BVL. Quid igitur ille? NOS. Abijcit ac præ-
cipitat omnia, nec parit, ſed abortit: interdum iu
ſtum uolumen ſcribit ſtãs pede in uno, nec unq̃
poteſt imperare animo ſuo, ut uel ſemel relegat
quod ſcripſit: nec aliud quàm ſcribit, quum poſt
diutinam lectionẽ demum ad calamũ ſit ueniẽ
dum, idq́ raro. Quid quod ne affectat quidẽ Tul
liano more dicere, non abſtinens à uocibus theo-
logicis,

logicis, interim ne à sordidis quidem? B V L. Tersior erat Guilhelmus Gādauus. N O S. Atticus erat in epistolis, in carmine bonus, sed ô scelerate luxus, quantum feliciū ingenioꝶ, uel corrūpis uel abrumpis? B V L. Nosti Aegidium Delphum? N O S. virum eruditionis uariæ, uersificatorē non malū, si facilitati neruos addidisset. B V L. Nuper decessit Martinus Dorpius. N O S. Ingenium felix & ad quiduis uersatile, nec infestiuum, sed alienis iudicijs q̃ suo duci maluit. Tandem theologiæ studiū retraxit hominē à Musis. B V L. Quis tibi uidetur Iacobus Ceratinus? N O S. Præclarā de se spem dedit, à Ciceroniano multum abest. B V L. Hinc igitur si uidetur in Phrysiam cōmigremus. Alit enī ea regio prorsus alba, quod dici solet, ingenia: sed male conuenit Como cum Musis. Langios igitur & Canterios omittam, Rodolphus Agricola sufficit unus pro multis. N O S. Agnosco uirum diuini pectoris, eruditionis reconditæ, stilo minime uulgari, solidum, neruosum, elaboratum, cōpositum, sed qui nonnihil resipiat & Quintilianum in eloquendo, & Isocratem in orationis structura, utroque tamē sublimior, Quintiliano etiā fusior ac dilucidior. Quod uoluit præstitit, nec dubito quin Ciceronis figurā potuisset effingere, si huc uertisset animi studiū. Et huic tamē ad summam laudem obstitere quædā, regionis ac temporum infelicitas, quibus uix quicq̃ honoris uidebāt literis politioribus, & nationis parū frugalis uita. In Italia summus esse poterat, nisi Germaniam

prætuliſſet. B V L. Haud trāſeundam cenſeo Vueſ-
phaliam, quæ nobis dedit Alexādrum Hegium.
N O S. Virum eruditū, ſanctum ac facundū nomi-
nas, ſed qui gloriæ contemptu, nihil magni moli
tus ſit. B V L. Dedit & Hermanum Buſchiū. N O S.
In carmine pangendo felicem: In oratione ſoluta
magna uis ingenij, lectio uaria, iudiciū acre, ner-
uorum ſatis, ſed cōpoſitio Quintiliano propior q̄
Ciceroni. B V L. Cōradum Goclenium, opinor, nō
noſti. N O S. Num illum dicis qui apud Brabantos
iampridem ornat non modo collegium Buslei-
dianum, quod quidam trilingue uocant, ſed totā
etiam illam Academiam, licet alioqui florentiſſi
mam? B V L. Iſtum ipſum. N O S. Mihi quidē καὶ οἴκο-
θεν notus eſt. B V L. Nunquid in illo deſideras, quo
minus habeatur inter Ciceronianos? N O S. Opi-
nor illud ingenium poſſe, quicquid ſerio uolue-
rit, uerum mauult obeſulus eſſe, quàm polygra-
phus. H Y P. Vnum in illo noui, quo Ciceroni mul-
tum eſt diſſimilis. B V L. Quidnam? H Y P. Ciceronē
accipimus prælongo & exili fuiſſe collo. Gocle-
nius & pulchre obeſo, & adeo non longo, ut mē-
tum pectori penè contiguum ſit. B V L. Non hic
de collo, ſed de ſtilo diſputamus. Cæterum ut à
Vueſphalia recedamus, Habet Saxonia iuuenes
ſummæ ſpei, nihil mediocre de ſe pollicētes, quo
rum eſt & Criſtophorus Carlebitzius, imagini-
bus maiorū ornatiſſimus, ſed literis ac moribus
comptiſſimis ornatior, uerum horum cōmemo
ratione te non fatigabo, quorum indoles adhuc
in her-

in herba est. Pergam ad reliquos Germanos. quorum princeps fuit Capnion. NOS. Vir magnus, sed oratio redolebat suũ seculũ adhuc horridius impolitiusq́. Qualis & Iacobus Vuimphelingius & si qui sunt huius similes, quorum opera tamẽ non parum utilitatis accessit Germaniæ studijs. BVL. Huius ergo discipulũ agnoscis Philippum Melanchthonem. NOS. nihil hoc ingenio felicius, si totum uacasset Musis. Nunc hanc laudem leuiter affectauit, ac naturæ felicitate contẽtus, nec artis, nec curæ permultum ad scribendum adhibuit, & haud scio an affectãtem nerui fuerint defecturi. Extemporali dictioni natus uidetur: nũc alijs intentus, eloquẽtiæ studium magna ex parte uidetur abiecisse. BVL. En igitur tibi Vlricum Huttenum. NOS. Sat splendoris & copiæ præstat in oratione soluta, in carmine felicior erat: cæterum à Ciceronis imagine procul aberat. BVL. Bilibaldum prius cõmemorasse oportuit, quo duce primum efflorescere cœpit apud Germanos eloquentia, quam & morum pietate & fortunæ splendore illustrauit. NOS. Sequitur ille quidẽ, at non assequitur, nec tã obstat ingeniũ, q̃ reipublicæ negotia parŭq; prospera ualetudo. NOS. In huius igitur locum profero Brunonẽ Amerbachiũ Rauracum, quo uiro nihil unq̃ natura finxit candidius. NOS. Quatenus licet ex gestu cognoscere, magnus erat futurus, ni festinata mors iuuenem studijs eripuisset. BVL. Henricũ Glarianum agnoscis Eluetiũ. NOS. Is maluit in philosophia

ac Mathematicis diſciplinis conſeneſcere, quàm æmulari phraſim Ciceronianã, cui uix conuenit cum ſubtilitatibus Mathematicorũ. BV. Vnus ſupereſt, quē ſi non recipis, migrabimus in Pannoniam. NOS. Quis? BVL. Vrſinus Velius. NOS. In carmine felix, nec infelix in orationē ſoluta, ſpirituũ & urbanitatis habet affatim, ubi prodierit hiſtoria quã de rebus à Pannoniæ Bœmiæq; rege Ferdinando geſtis texere dicitur, certius pronuntiabimus. BVL. Mihi certa ſpes eſt illum & principis ſui claritati & rerũ magnitudini facũdiæ uiribus reſponſurũ. Huius cõmemoratio nos deduxit in Pannoniã, nam illic nunc agit, ubi neminē noui præter Iacobũ Piſonem, ſtudioſum eloquentiæ Tullianæ candidatũ, ſed primũ aula, deinde calamitas, nuper etiã mors hominē nobis abripuit. BVL. Habet & Sarmatia quos non poſſis contemnere, ſed non commemorabo, niſi qui libellis in lucē datis, ſui ſpecimen dederunt. Horum princeps eſt Andreas Critius, Epiſcopus Plocēſis, qui prorſus ingenium habet, ut ait ille, in numerato, carmina pangit feliciter, felicior etiã in oratione ſoluta, præſto eſt ex tempore ſcribenti docta facilitas, ſermo perpetua quadã orationis feſtiuitate iucundus. NOS. Paucula quædam illius deguſtaui, quæ mihi ſanè ſpem egregiã præbent, niſi legationibus, tum regni ſimul & eccleſiæ negotijs cogatur à Muſarũ otio recedere. NOS. Iam Hiſpania quæ non ita pridem cœpit ad priſtinã ingeniorũ gloriã refloreſcere, doctos & eloquētes

uiros

uiros permultos, qui ſcriptis innotuerũt non ita multos. Habet Antoniũ Nebriſſenſem, uirum eruditionis uariæ, ſed cuius mentionẽ laturus nõ ſis in catalogo Tullianorũ. NOS. Rem diuinaſti. BVL. Ne Lopidem quidẽ, opinor, aut Sanctiũ. NOS. Hic Theologus eſt, nec affectauit hãc laudẽ, ille multo infelicior eſt in laudando q̃ in reprehendendo, nec hic nec ille Cicerõianus. Geneſius maiorem de ſe ſpem pollicetur. BVL. Et Luſitanos aliquot eruditos noui, qui uulgarint ingenij ſui ſpecimẽ, neminẽ noui præter Hermicũ quendã in epigrãmatibus felicẽ, in oratione ſoluta promptũ ac facilem, ad argutandũ dexterrimæ dicacitatis. Vide quot regiones peragrauerimus Noſopone, dũ unũ quærimus Ciceronianum, nec quiſq̃ adhuc repertus eſt, quẽ digneris huius cognominis honore, cuius amor te macerat. Quot priſcos commemorauimus, quot ſeculorũ poſteriorũ, quot noſtræ ætatis recenſuimus, in quibus ut ſint nõnulli quos faſtidioſus cenſor poſſit contemnere, q̃ multi ſunt qui ſuum quiſq; ſeculũ, ſuam patriã, qui eccleſiam, qui rem literariã doctrina facundiaq; ſua ornarunt, illuſtrarunt, nobilitarunt: nec ullũ tamẽ adhuc inuenimus Ciceronianũ. Quid reliquũ eſt, niſi ut proficiſcamur in inſulas fortunatorũ, inde petituri, quẽ donemus hoc nomine. Moderatius perpetimur mala nobis cum pleriſq; communia. Non mœret Hiſpanus, ſi non habet flauam ceſariem: non Indus quod colore ſit lurido, non Aethiops quod atro, quod ſimis naribus,

& tu discrucias animum tuum, nec concoquere potes conuiciũ, quod non es Ciceronianus? Hoc an malum sit nescio. Sed si esset malum, non tu æquo animo feres incommodũ tibi cum tot talibusq; uiris commune? NOS. Atqui hoc laudis assequutus est Christophorus Longolius, homo Brabantus, tum apud Gallos educatus. Huic uni cisalpinorum palmam hanc tribuunt Itali, cæteros omnes ut barbaros submouent. BVL. Plurimũ sanè laudis tulit Longolius, sed nimio emptũ, diu tortus est, tandem & immortuus est certamini nondum peracto, non leui profectò studiorũ iactura, quibus magno usui futurus erat, nisi totum animum omnesq; ingenij uires ad inanis tituli studium contulisset. Quanq̃ ille non uni Tullio assidebat, sed per omne autorũ genus sese uoluerat, disciplinas omnes diligẽter edidicerat, prę ter iuris peritiã, nec erat contentus exprimere lineamenta Ciceronis, sed in inuentione rerũ peracutus fuisse uidetur & copiosus, in tractãdis argumentis dexter ac felix, nusq̃ non præbens admirandæ cuiusdã indolis specimen. Nihil est igitur quod isti Ciceronis simij nobis Longoliũ obijciant, alijs dotibus ille magnus erat etiamsi Ciceronianus non fuisset, & hæc ipsa uanissimi tituli ambitio fructũ propemodum studiorum illius corrupit, uitã abrupit. Quanq̃ multũ etiã abfuit à Cicerone, cui materia defuit exercendæ mirabilis illius eloquẽtię, quã in serijs grauibusq; causis Cicero præstitit. Longolius ædidit epistolas, sa-

nẽ q̃ elegantes ac feliciter elaboratas, fateor, sed multas argumento perq̃ humili, plures affecta-to, quod genus uidentur aliquot epistolæ Plinij iunioris. Atqui tales non arbitror in epistolarum numero ponendas. Quid enim habent epistolæ Senecæ, quod epistolæ congruat, præter titulũ? At in Ciceronis epistolis nihil accersitum, aut de grauibus serijsq́ negotijs, scribit ea quæ corã exponeret si licuisset, aut cũ amicis absentibus de familiaribus rebus, aut de studijs confabulatur, quemadmodũ solent amici præsentes inter se mi scere sermonẽ. Quid quod Cicero non ædidit epi-stolas suas, & quasdam uidetur scripsisse neglectius q̃ loqui solitus erat. Vnde bona pars earum quas Tiro Ciceronis libertus collegerat, intercidit, haud opinor peritura, si docti eas iudicassent immortalitate dignas. Primũ igitur illa simplicitas & gratia sermonis inaffectati, deinde ueritas abest in epistolis Longolij plerisq́. Ad hæc quoniã nec eadẽ fuit fortuna Longolij quæ Ciceronis, nec eadẽ negotia, fit ut interdũ inepta sit ac frigeat imitatio. Quod genus sit, M. Tullius sena tor & uir consularis, scribit ad suæ dignitatis homines, qd moliantũ duces in ꝓuincijs, q̃ instructæ sint legiones, ostẽdit periculũ, diuinat reꝝ exitũ: quũ ad imitationẽ Cicerõis, similia scribit ad eru ditos amicos & in otio uiuẽtes, Lõgolius, ueluti solicitus de summa reꝝ, nõne friget affectatio? Quid quod ipse in Musæũ abditus interdũ literis mãdat uanissimos rumores, quales uulgo circũ-

uolitant, indigni qui uel sermone cordati homi-
nis cōmemorentur, Sed in orationibus, inquies,
quas duas reliquit, uelut in Capitolio habitas, Ci
ceronem præstitit. Eas ego sanè magna cum ani
mi tum admiratione, tum uoluptate legi, fateor.
Effecerunt enim, ut de illius ingenio longe q̃ an-
te magnificentius sentirē. Adeo, quū de illo præ-
claram concepissem existimationē, uicit multis
partibus expectationē meā. Videtur enim in has
deprompsisse quicquid uel suo potuit ingenio,
uel è Ciceronis orationibus hauserat. Eæ tamen
tot annis elaboratæ, toties sub incudem reuoca-
tæ, toties criticorum censurā perpessæ, quātulum
habent Ciceronis? non quidē Longolij culpa, sed
temporum. Aptissime dicebat Cicero, uix apte Lon
golius, quandoquidē Romæ, nec patres conscri-
pti sunt hodie, nec senatus, nec populi autoritas,
nec tribuū suffragia, nec magistratus qui solent
esse, nec leges, nec comitia, nec actionū forma,
nec prouinciæ, nec municipia, socij, ciues. Postre
mo Roma Roma non est, nihil habēs præter rui
nas ruderaq́ priscæ calamitatis cicatrices ac ue-
stigia. Tolle Pontificē, Card. Episcopos, Curiam,
& huius officiarios, deinde legatos principū, Ec-
clesiarum, collegiorū, & Abbatiarum, tum colluuiem
hominū partim qui uiuūt ex hisce nundinis, par
tim qui uel libertatis amore, uel fortunā aucupā
tes eò confluunt, quid erit Roma? Dicet aliquis
Pontificiū regnū à Christo traditū augustius esse,
q̃ fuerat olim senatus populiq́ Romani, aut etiā
si libet

si libet Octauij Cæsaris: Mea nihil refert, modo fa tearis diuersum regni genus esse. Quo fit, ut nec oratio cõgruat eadem: si putamus Ciceronianũ esse, sermonẽ ad rem præsentẽ accõmodare. At il le præclarus iuuenis orationem attemperauit ad hominum affectus, qui ueterẽ Romã rerũ domi nam gentemq́ togatã adhuc somniant, quẽad modum Iudæi nondũ desinunt suũ Mosen ac tẽ plum Hierosolymitanũ somniare. Iam Christo phorus iuuenis nec magistratu, nec rebus gestis, nec ullo alio nomine magnus erat q̃ ingenio, q̃d ego sane pulchrius esse duco, q̃ si regno polluis set. Sed hæc persona nihil ad Ciceronẽ. Nunc ar gumentũ accipe. Inciderat illi contentio cũ Italo quodã adolescente, in hoc opinor subornato, ut Ciceronianam eloquentiã à barbaris uindicaret: Et est, ut audio, Romæ sodalitas quædã eorũ, qui plus habent literaturæ q̃ pietatis: Docti uocan tur, & apud multos habentur in pretio. Per hos otiosos hoc certamen, studijs hinc atq; hinc effer uescentibus accẽsum est, ut ea ciuitas undiquaq; captat uoluptatis materiam. Interim Longolij causam grauabat Lutheri causa, cuius gratia a pud Romanos male audiebat quicquid erat affi ne Germaniæ, ne dicã cisalpini omnes. Itaq; Chri stophoro tametsi natiõe barbaro: nam huiusmo di uocabulis adhuc utuntur illi, quasi facies rerũ non tota sit immutata, tamen ob admirandã ser monis elegantiam, uisum est candidioribus ali quot, honoris gratia decernere ciuis Romani ti tulum:

tulũ. Fiebat hoc olim, & erat munus non minus utile q̃ honorificum. Nunc autem quid est esse ciuem Romanũ? Profecto minus aliquanto q̃ esse ciuem Basiliensem, si contemptis uerborum fumis, rem ęstimare libeat. Atq; hinc in barbarum, competitoris ipsiq; fauentiũ inuidia. Tandẽ quęsita est illa uoluptas otiosis, ut in Capitolio (sic enim uocant curiã quandã non admodũ magnificam, in qua solent agi per pueros exercitandi ingenij gratia fabulæ) causam diceret Longolius. Subornatus adolescẽs audaculus, qui accusationem quã ab alio compositam edidicerat, recitaret. Accusationis hæc erant capita: primũ quod Christophorus Longolius, olim puer, dum ingenij periclitandi gratia, laudat Galliam in qua tũ uiuebat, in nonnullis ausus sit æquare Italiæ, deinde quod in ea laudasset tribus uerbis Erasmũ et Budæũ: preterea quod diceret ab his subornatus ac delegat⁹ in Italiã, ut optimos quosq; libros deportaret ad Barbaros, quo possent cum Italis de principatu eruditionis cõtendere. Postremo q̃d homo barbarus & obscuræ familiæ, minime dign⁹ uideret honore tãti cognominis, ut ciuis Romanus appellaret. Habes præclarũ argumẽtum, in quo neruos intẽdas eloquẽtię Tullianæ. Atqui hoc plane ludicrum ille plusq̃ serio agit, mirifico sane uerborũ apparatu, magna ingenij significatione, summa uehemẽtia, multa interdũ urbanitate, nõ aliter alludẽs ad ætatẽ Cicerõis, q̃ is qui scripsit Batrachomyomachiã, allusit ad Homericam

cam

cam Iliadē, ranis ac muribus, rebusq́ ridiculis ac friuolis, deorū, dearū, heroum splendida uerba factaq́ accōmodans. Ita Longolius exaggerat capitis discrimen, armatas cohortes, gladiatorū manū, quorū uiolētia autoritas amplissimi ordinis, ac secundū leges agendi libertas fuerit impedita. Fingit priscā illā Romā orbis reginam, & huius præsidē ac tutorē Romulū cū suis Quiritib⁹: somniat P. C. & augustissimum ordinē regnorū dominū, populū in suos ordines ac tribus distinctum, prætorum ius, tribunorū intercessionem: somniat prouincias, colonias, municipia & socios urbis septicollis: recitatur senatus consultum, citant leges, miror non meminisse clepsydrarū, quæ reo solent infundi nouē opinor. Hic excitāt illa πάθη, appellant ueteres illi Romanæ ciuitatis principes. Quid nō? Perq̄ faceta res est. Equidem fateor hunc ludum uideri posse non inelegantē, si ad eum modū exerceretur iuuentus in scholis declamatorijs, etiamsi nō frustra præcepit Quintilianus, ut declamationis simulacrū quàm proxime accedat ad ueras actiones, nimirum quod quidā declamandi themata petere soleant è poētarum fabulis, nec ueris, nec uerisimilibus. Nā habent in adolescentibus & illa progymnasmata fructum haudquaquā pœnitendū, quū argumēto ex historia sumpto, uerba sententiæq́ ad illorum temporum conditionem accommodantur, sed tamen instructior erit ad ueras causas agendas, qui quæstionem tractat, præsentis tem-

poris inuolutam circunstantijs, ueluti si quis tra-
ctet, num expediat reipublicæ ut principes filias aut sorores suas in procul semotas regiones elo-
cent. An sit in rem Christianæ pietatis, proceres ecclesiasticos onerari ditione prophana: utrum consultius sit iuuenem euoluendis autoribus, an peragrādis longinquis regionibus, periclitādisq́ rebus, multarūq́ rerum cognitionē colligere: num expediat puerū imperio destinatū, aut natum, multum tēporis in literis ac liberalibus discipli-
nis cōsumere. Cęterū argumētum quod tractat Longolius, quum nec sit ex historia petitum, ut saltem per fictionē suo tēpori congruere possit, nec eiusmodi tamen, ut uere suo tempori suisq́ personis conueniat, qui fieri potuit ut hic totum exprimeret Ciceronē, qui depulsis armis Anto-
nij, sublatoq́ mortis metu, libere dixit apud sena tum Populumq́ Romanū. In hac tamē materia tanto ingenio tanta'que ingenij dexteritate rem gessit egregius iuuenis, ut hodie neminē norim, uel apud Italos, quē existimē idem præstare pos-
se, tantū abest, ut Longolij laudibus aliquid stu-
deam detrahere. Talibus enim ingenijs nō queā non fauere, etiā si mihi male uelint. Hæc eò tantū dicuntur, ut adolescentiæ studijs prospiciā, ne se superstitiose discrucient affectatione Ciceronia-
næ similitudinis, sic ut hac intentione ab utiliori bus magis'que necessarijs studijs auellant. Rem habes, orationes supersunt. Nunc mihi rationem ineas uelim, sit'ne operæpretiū, ingenia felicissi-
me

me nata in has ἀθλήξεις tantū ætatis & opere con ſumere,ne dicā immori talibus curis.Quantū uti litatis uel religioni Chriſtianæ,uel ſtudijs,uel pa triæ laturus erat, ſi uigilias quas actionibus illis ludicris impēdit,in res ſerias collocaſſet?NO. Pro fecto miſeret me Longolij,& uix habeo quod re ſpondeā.BVL.Ad hæc teſtat ſe ſcripſiſſe orationes quinq; in laudē urbis Romæ. O pulchre colloca tā operā. Quāto rectius eā collocaſſet, ſi ciuitatē illā atq; eos præcipue qui bonas literas ibi profi- tentur,orationibus aliquot elaboratis ad Chriſti cultū ac pietatis amorē inflāmare ſtuduiſſet. In- telligis Noſopone quid dicā,imò potius quid nō dicā. At quibus tandē uigiliarū tantū datū eſt? Se natui?ſenatus,ſi quis omnino Romæ eſt, Latine neſcit. populo? Barbare loquitur, tantū abeſt, ut dictione Tulliana capiatur. Sed ualeant hæc ἐπι- δεικτικά. Aduerſus Martinū Lutherū rem agit & ſe- riam & grauē. Vbi qui potuit eſſe Tullianus de rebus diſſerens,quas M. Tullius prorſus ignora- uit? At oratio non poteſt eſſe Tulliana,id eſt,opti ma,quæ nec tēpori,nec perſonis,nec rebus con- gruit. Satis Tulliane conuiciat. Vbi tandē uētum ad errorū capita recenſenda, ſubobſcurus eſt, & uix ab illis intelligit,qui Lutheri dogmata tenēt. Atqui hic res ſummā orationis perſpicuitatē de- ſiderabat,ſi uoluit eſſe Ciceronianus. Iam ex ipſa rerū propoſitione nō difficile fuerit coniectare qualis futurus fuerit in refellendis dogmatibus aduerſarij,ſuisq; confirmandis, Sedulo quidē ui-

t tat

tat uoces nostræ religionis, nunquam usurpans fidei uocabulum, sed in eius locũ substituẽs persuasionem, alia'que permulta quæ prius attigimus, semel tamen atque iterum utitur nomine christiani, per imprudentiam opinor. Nam ea dictio nusq̃ extat in libris M. Tullij. Quanq̃ & hic multa felicissime dixit, nec alia re magis peccauit, quàm quod nimis anxie studuit esse Ciceronianus, cui maluit orationẽ congruere q̃ causæ. NOS. Attamen istis dictu mirũ q̃ nunc applaudãt Itali quidã. BVL. Confiteor, laudant illa, sed ista legunt. Bataui oratoris nænias quæ Colloquia uocantur, quãto plures terunt manibus quàm Longolij scripta, quãlibet elaborata, quãlibet expolita, quãlibet Tulliana, & ut Græce dicã melius κεκροτημένα. Quid in causa? Quid? nisi quod illic res ipsa capit moratur'que lectorẽ qualicunque sermone tractata: ad hæc, quoniã theatrica sunt & uita carẽt, dormitat lector stertitq́. Vtilitas commendat etiã mediocrẽ eloquentiã: quæ tantũ adferunt uoluptatẽ, eadẽ diu placere non possunt, præsertim ijs, qui literas in hoc discũt, non solũ ut politius dicãt, uerũ etiã ut rectius uiuãt. In summa qui iuuenem illum ad huius laudis ambitum inflãmarunt, non optime meriti sunt, uel de ipso, uel de re literaria. Sed de Longolio fortasse nimis multa. NOS. Prætercurristi Iacobũ Sadoletum ac Petrum Bembum, prudens opinor. BVL. Næ prudens, uiros eximios, rara'que horum temporum exempla nolui miscere turbæ. Petri Bembi nihil

extat quod sciã, præter aliquot epistolas, in quibus exosculor, non modo dilucidũ quoddã, sanũ &, ut ita dicã, Atticũ dicendi genus, sed probitatem, humanitatem ac singularem ingenij candorem in oratione uelut in speculo relucẽtem, nec alia re uel fortunatiorẽ uel ornatiorẽ iudico Longolium, quàm taliũ uirorꝶ amicitia. At Iacobus Sadoletus cętera ferè æqualis Bembo, in commẽtario quẽ elegantissimũ ædidit in Psalmũ 50. non adeo affectat haberi Ciceronianus, ut non personæ decorꝶ tueatur: Est enim episcopus Carpentoractensis, ut non materiæ seruiat, ne in epistolis quidẽ, abhorrens à uocibus quibusdã Ecclesiasticis. Quid igitur? non dixit Tulliano more? non dixit: imò dixit potius, qui eo modo dixit, quo probabile est ijsdem de rebus si uiueret dicturꝶ esse Ciceronem, hoc est, christiane. NOS. Multum suffragijs eruditorꝶ tributum est Baptistæ CassSelio. BVL. Oratio de lege Agraria, quam paulo ante mortem ædidit, declarat illum summo nisu Tullianę dictionis affectasse lineamẽta, & hactenus propemodũ assequutus est quod uoluit: lucis habet plurimum, uerba nitida, compositionẽ suauem. Cæterꝶ immane quantũ est quod desideratur, si ad Ciceronem conferas. NOS. Certè Pontanum uno ore prædicant omnes, huic Ciceronianæ dictionis palmam tribuunt eruditorum centuriæ. BVL. Non sum uel tam ebes uel tã inuidus, ut nõ fatear Pontanũ multis egregijs ingenij dotibus uirũ fuisse summũ, ac me quoq; rapit pla-

cido quodam orationis lapſu: uerborum dulce quiddam reſonãtium amœno tinnitu demulcet aures, demum ſplẽdore quodã perſtringit digni tas ac maieſtas oratiõis. NOS. Quid igitur obſtat, quo minus illum fateare Ciceronianũ? BVL. Meo iudicio nihil illius laudi uel acceſſerit uel deceſſe rit. Quædã illius deguſtaui. Tractat materias pro phanas, quaſiq́; locos cõmunes de fortitudine, de obedientia, de ſplendore, quæ tractata facillime niteſcunt, atq; ex ſe facile ſuppeditant ſentẽtiarũ copiam: easq́; ſic tractat, ut ægre poſſis agnoſce re Chriſtianus fuerit nec ne. Similiter tẽperat ſti lum in libello de principe: Præterea non memini me quicq̃ illius legiſſe præter aliquot dialogos ad Lucianũ effictos. At ego nõ agnoſcã Tullianũ, niſi qui res noſtras, ciceroniãa tractet felicitate. In epigrãmatibus plus tuliſſet laudis, ſi uitaſſet obſcœnitatẽ, quod nec in dialogis ſatis cauet. In Meteoris & Vrania, quæſiuit materiã quæ facile ſplendeſcit, & rem ſanè felicẽ feliciter tractauit, nec illic requiro chriſtianã dictionem. In cæteris interdũ deſidero decorũ & aptũ & aculeos quos M. Tullius in animo relinquit etiã poſito codice. Certè ad iſtam legem quam tu nobis præſcripſe ras, Ciceronianus nõ erit, in cuius ſcriptis ſexcen tas uoces poſſem oſtẽdere, quæ nusq̃ ſunt apud Ciceronẽ. Poſtremo uides, q̃ infreques ſit in ma nibus Pontanus, uir, extra controuerſiam in lite ris inter præcipuos numerandus. NOS. Pontano ſucceſſit Actius Syncerus, qui partum uirginis

matris mire felici carmine descripsit, cui supra modum applausum est à Romano theatro. BVL. Testantur hoc abunde Leonis & Clementis breuia, sic enim hodie uocant, tũ Aegidij cardinalis, addita præfatio, ne cæteros cõmemorẽ, nec sine causa tãtopere placuit. Mihi certè magna cũ animi uoluptate perlectũ est opus utrunq;. Nam & Aeglogas scripsit piscatorias. Quis aũt talem indolem in iuuene Patritio nõ exosculetur? Hoc nomine præferẽdus est Pontano, quod rem sacram tractare nõ piguit, quod nec dormitãter eã, nec inamœne tractauit, sed meo quidem suffragio, plus laudis erat laturus, si materiã sacrã tractasset aliquanto sacratius: qua quidem in re leuius peccauit Baptista Mãtuan⁹, q̃q̃ & aliâs in huiusmodi argumẽtis uberior. Nunc quorsum attinebat hic toties inuocare Musas & Phœbũ? Quàm quod uirginẽ fingit intentã præcipue Sibyllinis uersibus, q̃d non aptũ Proteũ inducit de CHRISTO uaticinantẽ, q̃d Nympharꝝ, Hamadryadũ, ac Nereidũ plena facit omnia? Quàm dure respõdet christianis aurib⁹ uersus ille, qui, ni fallor, uirgini matri dicitur: Tuq; adeo spes fida hominũ, spes fida deorꝝ. Scio deorꝝ metri gratia positũ loco diuorum. Me quidẽ leuiter offendit in tot uirtutibus, quod Synalœphæ frequentes hiulcã reddunt compositionẽ. Ne multis: si carmẽ hoc proferas ut specimen adolescentis poëticen meditãtis, exosculabor, si ut carmẽ à uiro serio scriptum ad pietatẽ, lõge præferã unicũ hymnũ Prudẽtianum

num de natali IESV tribus libellis Actij Synceri, tãtum abest ut hoc carmẽ sufficiat & ad prosternẽdum funda Goliã ecclesiæ minitantẽ,& ad placandum cithara Saulem furentẽ. Atq; haud scio, utrũ sit magis reprehendendũ,si christianus prophana tractet prophane, christianũ se esse dissimulans,an si materias christianas tractet paganice. Si quidẽ CHRISTI mysteria nõ solũ erudite,uerũ etiã religiose tractãda sunt.Nec satis est tẽporaria delectatiuncula delinire lectoris animũ, excitãdi sunt affectus deo digni. Quod fieri non potest, ni penitus cognitũ habeas argumentum quod uersas: nec enim hic inflãmabis, si frigeas ipse: nec ad amorẽ rerũ cœlestiũ accendes lectorem, si tibi taliũ uel leuis admodũ,uel nulla cura est.Hic si præsto sunt,uel ultro, nec accersita, uel non magno constãtia dictionis ornamẽta,figurarũ illecebræ,quibus fastidiosum lectorem allicimus, allectũq; remoramur,non arbitror reiicienda, modo primas teneãt ea quæ præcipua sunt. Quale porrò sit,materiã piam ob hoc ipsum putere nobis,quod pie tractata sit? At pie tractari q̃ potest,si nunquam dimoueas oculos à Vergiliis, Horatiis ac Nasonibus? Nisi fortè quorundam studium approbas, qui fragmentis Homericorũ aut Vergilianorum uersuũ,undiq; decerptis,& in centonẽ consarcinatis CHRISTI uitã descripserunt. Operosum sanè scribẽdi genus,sed cui unq̃ ista lacrymulã extuderunt? Quẽ ad pietatẽ commouerunt,quẽ ab impura uita reuocarũt? Atqui nõ ita

multum

multum dissimilis est istorum conatus, qui uerbis, sententiolis, figuris ac numeris ex Cicerone congestis, conuestiunt argumentum christianum. Quid enim laudis fert ille rhapsodus? Nempe quod accurate uersatus est in Homero siue vergilio. quid fructus adfert hic Ciceronianus? Applaudit diligenter in M. Tullii scriptis uersato, sed tantum ab iis, qui & ipsi in iisdem uersati, quid unde decerptum sit agnoscunt. Habet ea res uoluptatem plane quandam, fateor, sed quum apud perpaucos, tum eius generis, ut facile uertatur in satietatem, postremo quæ nihil aliud sit quam uoluptas. Cæterum illud sine quo Fabius negat esse mirabilem eloquentiam, quod in concitandis affectibus situm est, prorsus abest. Et tamen nobis uidemur Marones ac Cicerones. Dic mihi Nosopone, si quis argumentum rapti Ganymedis, eleganter constructum operæ Musaico dissoluat, & iisdem tessellis aliter concinnatis exprimere conetur Gabrielem cœleste nuntium adferentem uirgini Nazarenæ, nonne durum parumque felix opus nascetur, ex optimis quidem tessellis, sed minus argumento congruentibus. NOS. Poëtas excusat à priscis concessa licentia. BVL. Audies hic illud Horatianum: At non ut placidis coëant immitia, Non ut serpentes auibus geminentur tigribus agni. Minus, opinor, conuenit Musis, Apollini, reliquisque diis poëticis, cum christianæ pietatis mysteriis, quàm serpentibus cum auibus, aut tigribus cum agnis, præsertim in argumento serio. Alioqui si quid obiter per iocum aspergatur ex ueterum fabulis,

ferendum arbitror magis q̃ probandum. Oportebat enim omnem christianorum orationem resipere Christũ, sine quo nec suaue, nec splendidum est quicquam, nec utile, nec honestũ, nec elegãs, nec facundum, nec eruditum. Liceat sane prælu dere ad seria pueris. In ueris, in serijs, quodq́ grauius est, in pijs materijs, quis feret ista paganica progymnasmata? NOS. Quod igitur tuum est cõsilium, ut Ciceronẽ abijciã è manibus? BVL. Imò ut semper in sinu sit potius eloquentiæ candidato, sed quorundã morositas fastidiumq́ prorsus abijciendum est, qui scriptum alioqui doctũ & elegãs reijcere solẽt & indignũ lectu iudicare, nõ ob aliud, nisi quod ad Ciceronis imitationem nõ sit elaboratũ. Primũ enim non quibuslibet ingenijs cõgruit Tulliana phrasis, ut male cessura sit affectatio, deinde si desunt naturę uires, ut inimitabilem dicẽdi felicitatẽ assequaris, quid stultius, q̃ in eo discruciari, quod nõ potest cõtingere? Ad hæc nec materię cuiuis, nec personis omnibus cõgruit Tulliana phrasis. Et si cõgrueret, quædam negligere præstat, quàm nimio parare. Si M. Tullio tanti constitisset sua facundia, quanti nobis, aliqua ni fallor ex parte neglexisset orationis ornamẽta. Nimio uero parat, quod tãto ætatis, ualetudinis ac uitę etiã dispẽdio emit. Nimio parat, cuius gratia disciplinas cognitu magis necessarias negligimus. Deniq; nimio parat, q̃d pietatis iactura emitur. Si ideo discitur eloquẽtia, ut delectemus otiosos, quid attinet rem scenicã tot uigi

lijs

Iijs perdiſcere. Sin ut perſuadeamus quæ ſunt honeſta, efficacius dixit Phocion Athenienſis q̃ Demoſthenes. Sæpius perſuaſit Cato Vticẽſis, q̃ M. Tullius. Iam ſi in hoc paratur eloquentia, ut ſcripta noſtra terãtur manibus hominũ, ſi citra ſtudium contingeret Ciceronianæ dictionis ſimilitudo, tamen arte uarietas eſſet affectãda, quæ lectoris nauſeanti ſtomacho mederetur. Tantam uim habet in reb⁹ humanis uarietas, ut nec optimis ſemper expediat uti. Nec usq̃ non uerũ eſt illud Græcorũ prouerbio iactatũ, μεταβολὴ πάντ γλυκύ. Nec alio nomine magis cõmendatur Homerus, & oratius, quàm quod rerum ac figurarũ admirabili uarietate, non ſinunt oboriri tædium lectionis. Ad hanc nos natura quodammodo finxit, ſuum cuiq; tribuens ingenium, ut uix duos reperias, qui eadem uel poſſint uel amẽt. Iam quũ nihil ſit humano ſtomacho delicatius aut faſtidioſius, tum ad eruditionẽ parandam tantũ uoluminum nobis ſit deuorandum, quis poſſet in perpetua lectione perdurare, ſi cũctorũ eſſet idẽ ſtilus, ac ſimilis dictio? Præſtat igit̃ ut in epulis, ita & in ſcriptis eſſe quædã deteriora q̃ per omnia ſimilia. Qualis aũt eſſet ille cõuiuator, qui quum plurimos acciperet, inter quos uix duo palati iudicio conſentiũt, cibos apponeret oẽs eodẽ more cõditos, etiamſi delicias Apitianas apponeret. Nunc dũ alius alio dicendi genere capit̃, fit ut nihil nõ legat̃. Vt ne repetã, quod ipſa quoq; natura repugnat iſti affectationi, quę uoluit orationem

esse speculū animi. Porrò quū tanta sit ingenioꝝ dissimilitudo, quanta uix est formarū, aut uocū, mendax erit speculū, nisi natiuā mentis imaginē referat, & hoc ipsum est, quod in primis delectat lectorem, ex oratione, scriptoris affectus, indolem, sensum, ingeniūq; cognoscere, nihilo minus quàm si cōplures annos cū illo consuetudinem egeris. Et hinc diuersorū tā diuersa erga librorū scriptores studia, prout quenq; genius cognatus aut alienus, uel conciliat, uel abducit: haud aliter q̃ in formis corpoꝝ, alia species aliū delectat offendit'ue. Dicā quid mihi contigerit. Adolescens adamabā poëtas omnes. Veꝝ simul atq; sum Oratio factus familiarior, præ hoc omnes cæteri putere cœperunt, alioqui per se mirabiles. Quid, existimas in causa fuisse? nisi genioꝝ arcanā quandā affinitatē, quæ in mutis illis literis agnoscit. Hoc genuinū ac natiuū non spirat in oratione nihil nisi Ciceronē exprimentiū. Quid q̃d probi uiri, q̃q̃ parū felici forma nati sunt, nolint tamen apposita persona formosissimi cuiuspiā mentiri speciem, ac ne pingi quidē alia forma sustineant q̃ dedit natura, quod turpe sit mentita facie imponere cuiq̃, & ridicula res sit mendax speculū aut assentatrix imago. At turpius mendaciū sit, si quū sim Bulephorus, uelim haberi Nosoponus, aut alius quilibet. An non igitur ab eruditis merito ridentur improbi quidā, qui uiros alioqui doctos & eloquētes ac nominis immortalitate dignos, non alio nomine reijciūt ac uelut é bibliothecis

sub-

ſubmouent, quod ſeipſos ſtilo maluerint exprimere q̃ Ciceronē, quum impoſturæ genus ſit teipſum non exprimere, ſed alienæ formæ præſtigiū oculis hominū obijcere. Et haud ſcio an ſi liceat ita permittente deo, multos inuēturi ſimus, qui totā corporis ſui ſpeciē uelint cum aliena cōmutare, multo pauciores arbitror fore, qui mentem & ingeniū totū cū alterius ingenio ſint permutaturi. Primum quod nemo uelit alius eſſe q̃ eſt, deinde quod ſuis quiſq; dotibus ſic temperatus eſt naturæ prouidentia, ut etiam ſi quid adſit uitij, uirtutibus adiunctis paria faciat. Habet animus faciē quandā ſuā in oratione uelut in ſpeculo relucentē, quā à natiua ſpecie in diuerſum refingere, quid aliud eſt, q̃ in publicū uenire perſonatum? NOS. Vide ne quod aiunt, ſepta tua tranſiliat oratio, quæ mihi uidetur eò prouecta, ut damnet omnē imitationē, quū rhetorica tribus potiſſimū conſtet, præceptis, imitatione & uſu, niſi fortè qui M. Tulliū imitantur faciē alienam aſſumunt; qui cæteros, ſuam habēt. BVL. Amplector imitationē, ſed quæ adiuuet naturā, non uiolet: quæ corrigat illius dotes non obruat: probo imitationē, ſed ad exemplū ingenio tuo congruens, aut certè non repugnans, ne uideare cum gigātibus θεομαχεῖν. Rurſus imitationē probo nō uni ad dictā præſcripto, à cuius lineis non auſit diſcedere, ſed ex omnibus autoribus quod in quoq; præcellit maxime, tuoq; congruit ingenio decerpentem, nec ſtatim attexentē orationi quicquid occurrit

currit bellum, sed in ipsum animũ uelut in stoma chum traijcientẽ, ut transfusum in uenas, ex ingenio tuo natum non aliunde emendicatũ esse uideatur, ac mentis naturæq; tuæ uigorẽ & indolem spiret, ut qui legit nõ agnoscat emblema Ciceroni detractũ, sed fœtum è tuo natũ cerebro, quemadmodũ Palladem aiunt è cerebro Iouis, uiuam parentis imaginem referentẽ: nec oratio tua cento quispiam uideatur aut opus Musaicũ, sed spirans imago tui pectoris, aut amnis è fonte cordis tui promanans. Sit autem prima præcipuaq; cura penitus cognoscendæ rei quã tractandum suscipis, Ea tibi suppeditabit orationis copiam, suppeditabit affectus ueros ac natiuos. Ita demũ fiet, ut tua uiuat, spiret, agat, moueat & rapiat oratio, teq; totũ exprimat. Nec statim adulterinũ est, quod accedit ex imitatione. Est aliquis cultus qui nec uirũ dedecet, & natiuam formam commendat, ueluti lotio, uultus moderatio, sed in primis cura bonæ ualetudinis. Iam si tuã faciẽ uelis ad eius speciẽ componere, qui tibi dissimillimus est, nihil agas. Cæterũ si uideris in quopiã tui non admodũ dissimili, effusiore risu, immodicaq; rictus diductione dehonestari formam, aut adductione superciliorũ, corrugatione frontis, subductiõe nasi, reductiõe labiorũ, aut improba oculorũ sublatiõe, alijsq; similibus minus decẽtẽ reddi faciẽ, potes his uitatis tuã formã reddere meliorẽ, nec tamen uultũ sumes alienũ, sed tuũ compones. Itẽ uides alterum parũ decere cesariẽ
impe-

impexam,aut æquo promißiorē,tuā licebit corrigere. Rursum si conspexeris in alio quantū addat gratiæ, frontis hilaritas modesta, oculorum uerecundia, totusq; uultus habitus ad probitatē compositus,ut nec toruū quicq̄ aut insolens,nec leue aut incompositū præ se ferat, non erit prestigium,si tuū uultū ad huius imitationē formaris. Siquidē in te sitū est,ut & animus uultui respondeat. Quoniam autē uaria est formarū gratia,ne statim existimes deterius, quod dißimile est illi, cuius formam miraris. Nam, quēadmodū diximus,fieri potest,ut q inter se dißimilimi sunt, æquales tamē sint. Nec quicq̄ uetat, quin Ciceroni dissimillimus,potior sit eo,qui Ciceronis lineamenta propius exprimit. Age ponamus aliquātisper nostros amores, ex iudicio rationis, non ex affectu feramus sententiā:si tibi tua Pitho det optionem, utrū pro Nosopono Quintilianus esse malis,an is qui de rhetoricis scripsit ad Herennium, utrū eliges? NOS. Equidem malim esse Quintilianus. BVL. Et tamen alter quāto Ciceroni similior est. Vtrū malles esse Salustius,an Q. Curtius? NO. Malim esse Salustius. BVL. At Q. Curtius propius accedit ad Ciceronē. BVL. Vtrū malles esse, Leonardus Aretinus, an Laurentius Valla? NOS. Malim Valla. BVL. Leonardus tamen,Ciceroni uicinior est. Vtrū malles esse Hermolaus Barbarus,an Christophorus Landinus? NOS. Barbarus. BVLE. At alter ille propinquior est M. Tullio. Vtrū malles esse Politianus,an Paulus Cortesius? NOS. Po-

litia-

litianus. BVL. At alter uideri postulat Ciceronianus. Iam utrũ malles esse Tertullianus, hæresim excipio, an Beda? NOS. Tertullianus. BVL. At Beda plus habet phraseos Ciceronianæ. Vtrũ malles esse Hieronymus, an Lactantius? NOS. Hieronymus. BVL. At alter quantus est Ciceronis simius. Vides igitur non cõtinuo melius dicere eum, qui propius accedit ad Cicerõem, nec peius qui dissimilior est. Deniq; quemadmodũ plures esse possunt Attici, q tamen inter se dissimillimi sunt, ita nihil uetat, quo minus plures dicantur Ciceroniani, qui dicendi uirtutibus pares sint, quum similes non sint. At quis ferat sciolos quosdã, miro supercilio reijcientes, quicquid non referat lineamenta Tullianæ phraseos, quam uerbulis dũtaxat, figuris & numeris, expẽdunt. Frigide sectatur Tullianam phrasim, qui non multorũ autorũ lectione, multarũ disciplinarũ scientia, multarum cognitiõe rerum instructus accedit, ne repetam quod dictum est de ui naturæ & prudentia. Ferã tamen hanc ineptam gloriolam in adolescente: feram in doctis, qui hunc neuũ multis egregijs dotibus pensant: quis feret senes qui nihil aliud captant, q̃ ut sint Ciceroniani, qui uiros ipsis & eruditiores & eloquentiores eradunt ex albo scriptorum, quod ausint à Ciceronis lineamentis alicubi recedere, quum ipsi ferè adeò Ciceroniani non sint, ut subinde destituantur grãmaticæ præsidijs. Non exprimã quorundã nomina, quibus fortasse in uotis sit uel sic innotescere. De Bartholo-

tholomeo Scala dicam, cui Hermolaus & Politianus uisi sunt parum Ciceroniani, ipse sibi Tullianus est uisus, utcunque dissimulat. At ego malim somnia Politiani, quam quæ Scala sobrius, summoque studio elaborauit. Paulus Cortesius non dissimulat huius affectationis studium, sed deum immortalem quanto longius illius epistola discrepat ab imagine Ciceronis, quam Politianica cui respondet. Sed nõ alia re mihi uidetur Ciceroni dissimilior Cortesius, quam quod toto fere sermõe aberrat à scopo. Sic enim agit causam, quasi Politianus deterreat ab imitatione Ciceronis, tum quasi nolit eũ qui scribit ullum scriptorẽ sibi imitandũ proponere, quum eos taxet, qui nulla lectione bonorũ autorũ, nulla eruditione, nullo usu instructi, tantum hoc moliunt, ut Ciceronis exprimant lineamenta, quos ob id simios appellat Ciceronis. Taxat eos qui ex Cicerone uerba frustillatim mendicant, qui semper alienis ingrediũtur uestigijs, quum nihil ex se gignãt, qui nihil aliud quam imitantur, & uerbula dũtaxat imitant. Hos negat se ferre posse, qui quũ nihil minus sint quam Ciceroniani, tamen Ciceronis titulo sese uenditantes, non uerent de summis uiris pronũtiare. Proinde monet amicũ, ut posteaquam Ciceronẽ primũ at non solũ, sed cũ alijs multis eximijs scriptoribus diutina lectione contriuisset, edidicisset, concoxisset, tũ demũ si quãdo pararet aliqd scribere, poneret morosam illã & anxiã solicitudinẽ imitãdi tm̃ Ciceronẽ, nunquam à lineamẽtis illius oculos deflectens,

quod

quod hæc anxietas efficiat, ut minus hoc ipsum assequaris qđ sequeris. An hoc est deterrere ab imitatione Ciceronis? Num hoc est docere nemi nē omnino imitandū esse? An is qui uaria lectione instructus, atq;, ut ita dicā, saginatus, dū scripturienti, quod in quoq; legit optimum, uenit in mentē, non imitatē aliquē, etiāsi nō illis seruit nec assidet, sed suos affectus ac rem, de qua parat dicere, adhibet in consiliū? At Cortesius negat sibi placere simios Ciceronis: Similē, inquiens, uolo mi Politiane, non ut simiā hominis, sed ut filium parentis, eadē loquēs quæ dixerat Politianus. Id multis uerbis prosequutus, tandē uelut immemor sui, fatetē se malle esse simiū Ciceronis, q̄ aliorū filiū. Si uox hæc, aliorū, cōplectitur Salustiū, Liuiū, Quintilianū, Senecā, quis non malit se esse similē illis, quēadmodū filius similis est patri, q̄ sic esse similis M. Tullio, quēadmodū simia similis est homini? Post hæc multa congerit in eos q sese ingurgitant uaria lectione, nec ea quæ legūt cōcoquunt. Horū orationē existere scabrā, incōditā, & asperā. Sed quid hæc ad epistolā Politiani? Si sentit cū illo, quur ita respōdet quasi dissentiat? Si dissentit, quæ Politianus probat erant refellēda. Nam illud uel maxime Ciceronianū est, dispicere quid sit in controuersia, quid cōueniat cū aduersario, & in quo sit causæ status, neq; quicquā extra causam dicere. Proinde prolixā epistolam elaborauit Cortesius, magis q̄ Ciceronianā, cui uelut aliena loquenti nihil respondit Politianus.

nus.

nus. At Politianus qui audiebat nō ciceronianus, quanto melius Ciceronem exprimit breuiore licet epiſtola, non tantum ſententiarum argutia, uerum etiam uerbis aptis, elegantibus ac ſignificātibus. Neq; uero mihi dicūtur hæc in ſuggillationem Corteſii: nec enim contumelioſum eſt poſtponi uix cuiq; imitabili Politiano, ſed ut adoleſcētibus exēplo cōmonſtretur, quid ſit uere Ciceronem exprimere. HYP. Tot ambagib⁹ nos circūagis Bulephore, ut parū abſit, quin ex Hypologo fiam Hyponoſus. Quin tu ſimpliciter explana, quid de Cicerone, quidq; de hoc imitādo ſentias. NOS. Hoc ipſum & ego peruelim: nam eò propemodū tua me perduxit oratio, ut ſtatuerim tuis obtemperare cōſilijs. BVL. Nihil arbitror reſtare, niſi ut quæ ſparſim diſſerta ſunt hactenus, in cōpendium contrahamus. NOS. Quis tibi uidet M. Tullius? NOS. Dicēdi artifex optimus, atq; etiam ut inter Ehnicos uir bonus, quē arbitror ſi chriſtianā philoſophiā didiciſſet, in eorum numero cenſendum fuiſſe, qui nunc ob uitā innocenter pieq; tranſactam pro diuis honorātur. Artem & uſum in illo plurimū ualuiſſe fateor, ſed multo maximam eloquētiæ ſuæ partē debuit naturæ, quam nemo ſibi dare poteſt. Nec aliū è Latinis ſcriptoribus arbitror magis habendum in ſinu pueris & adoleſcētibus, qui in eloquētiæ laudē educātur. Poëtarum tamen lectionē uolo priorem eſſe, quod hoc Muſæ genus magis conuenit ætati teneræ. Nec quenq; ad Ciceronis imitationem uocari uo

u lo,

lo, nisi prius cognitis artis rhetoricæ præceptis. Posthæc adesse uolo commonstratorem artis, ue luti solent pictores discipulis in tabula quapiam insigni demõstrare, quid ex arte factum sit, quid contra. Rursus M. Tullium in parte studiorũ, præ cipuum ac primũ esse uolo, non solũ, nec sequen dum tantũ puto, sed imitãdum potius, atq; ęmu landum etiam. Etenim qui sequitur, alienis ingre ditur uestigijs, & seruit præscripto. Porrò uere di ctum est, eum non posse bene ambulare, qui pe- dem semper ponit in alieno uestigio: nec unq̃ be ne natare, qui non audet abijcere suber. Imitator autem nõ tam eadẽ dicere studet quàm similia, imò ne similia quidẽ interdũ, sed paria magis. Ae- mulator uero contendit etiã melius dicere si pos- sit. Nullus aũt fuit unq̃ tam absolutus artifex, in cuius opere nõ aliquid deprehẽdas, quod meli9 reddi possit. Ad hæc nolim hanc imitationem ni mis anxiã ac superstitiosam esse. Nam hoc ipsum obstat quo minus efficiam9 quod uolumus. Nec ita censeo M. Tullium adamandum, ut à cæteris omnib9 abhorreas, sed optimos quosq; primum legẽdos, & ex optimis, quod in quoq; est optimũ excerpendum: neq; enim est necesse, ut quenquã totum imiteris. Nec illos aspernãdos cẽseo qui di ctionem quidem nõ multum iuuãt, sed tamẽ re- rum copiam suppeditãt, uelut Aristoteles, Theo prastus, & Plinius. Ad hæc nolim quenq̃ sic addi ctum esse ciceroni imitando, ut à suo recedat ge nio, & ualetudinis uitæq; dispendio consectetur,

quod repugnāte Minerua non possit assequi: uel nimio constaturū sit, si tandem assequatur. Praeterea nolim hoc solum agi, nec ita laudem Ciceronianae dictionis ambiendā arbitror, ut liberales disciplinas, cum primis necessarias, negligas. Ab istis uero uelut à peste cauendū, qui clamitāt esse nefas uti uoce, quae nō reperiatur in libris Tullianis. Posteaq̄ enim ius Latini sermonis desiit esse penes uulgarē cōsuetudinē, quicquid uocabulorum deprehēditur apud idoneos scriptores, usurpemus nostro iure, quū opus est, & si durius obsoletū'q; uidet, quod à paucis sit usitatū, nos in lucem proferamus, crebraq; ac tempestiua usurpatione molliamus. Quae tandē inuidia sit, quū ueteres Graecorum uoces mutuo sumpserint, quoties Latine uel deerāt, uel minus significātes habebātur, nos ubi res postulat à dictiōibus, quas apud probatos autores cōperimus tēperare? Nec minore studio fugiēdi uidētur & illi, qui reijciendū & omnino lectu indignū uociferari solēt, quicqd uerbis, formulis & numeris non effictū sit ad Ciceronis imitationē, quum liceat diuersis uirtutibus, si nō similes, certè pares esse Ciceroni. Absit à nobis haec fastidiosa morositas, quin potius q̄d Naso ludēs narrat sibi accidisse in puellarum amoribus, id nos serio praestemus in autorū lectione. Illi procerā cōmendabat puellā, quod heroina uideretur, breuis placebat ob commoditatē, primā aetatē flos ipse cōmēdabat, grādiorē rerum usus, in illiterata delectabat simplicitas, in erudita inge-

nium,in candida coloris gratiam amabat, in fu ſca neſcio quid latentis gratiæ ſibi fingebat. Eodem cãdore ſi nos ex ſingulis ſcriptoribus excerpemus quod habẽt probandũ, nullũ faſtidiem⁹, ſed ex omnibus aliquid delibabimus, quod noſtram condiat orationẽ. Cæterꝫ illud ante omnia prouidendum, ne ſimplex ac rudis ætas Ciceroniani cognominis præſtigio decepta, pro Ciceroniana fiat pagana. Videmus enim huiuſmodi peſtes nõdum prorſus extinctas, ſubinde meditari repullulaſcẽtiam, ſub hoc fuco ueteres hæreſes, ſub alio Iudaiſmũ, ſub alio paganitatẽ. Sic ante complures annos factiones oriri cœperãt apud Italos, Platonicorꝫ & Peripateticorum. Faceſſant hęc diſſidiorꝫ cognomina, ea potius inculcem⁹, q̃ & in ſtudijs, & in religione, & in omni uita, cõciliẽt alantq́ꝫ mutuam beneuolentiã. Proinde de rebus ſacris primũ ea combibẽda eſt perſuaſio, quæ uere chriſtiano digna ſit. Id ſi fiat, nihil uidebitur ornatius cœleſti philoſoſophia, nihil ſuaui⁹ IESV CHRISTI nomine, nihil uenuſtius uocabulis, quibus eccleſiæ lumina res arcanas tractarũt. Nec uidebitur illius ſermo uenuſtus, qui nõ cõgruit perſonæ, nec rebus eſt accommodatus, monſtroſus etiam qui res pietatis tractat uerbis impiorꝫ, quiq́ꝫ materiã chriſtianã Paganicis nugis contaminat. Quod ſi quid hic ueniæ dat̃ adoleſcẽtię, ne ſibi ſumat idem iuris ętas prouectior. Qui ſic eſt Ciceronianus, ut parũ ſit chriſtianus, is ne Ciceronianus quidẽ eſt, quod nõ dicit apte,

non

non penitus intelligit ea, de quibus loquitur, nõ afficitur his ex animo de quibus uerba facit. Postremo nõ eodẽ ornatu tractat res suæ professionis, quibus Cicero tractauit argumenta suorũ tẽporũ. Huc discũtur disciplinæ, huc philosophia, huc eloquentia, ut CHRISTVM intelligamus, ut CHRISTI gloriã celebremus. Hic est totius eruditionis & eloquẽtiæ scopus. Admonẽdi sumus & illud, ut quod in Cicerone præcipuũ est imitemur. Id nõ in uerbis, aut orationis superficie, sed in rebus ac sentẽtijs, in ingenio cõsilioq; situ est. Quid enim refert, si filius parentẽ oris lineamẽtis referat, quũ ingenio moribus'que sit dissimilis. Postremo si nõ continget nobis, ut istorũ suffragijs Ciceroniani dicamur, moderate ferendũ est, quod nobis cũ tot egregijs uiris q̃s ante recensuimus, cõmune est. Stultũ est sequi q̃d assequi nõ possis: Delicatũ est ob id misere discruciari, quod tot eximij scriptores æquo tulerunt animo: Inde corũ est affectare, quæ nobis non congruunt: Ineptum est aliter uelle dicere, q̃ res postulat: Insanum est tãtis uigilijs emere, quod uix usq̃ sit usui futurũ. Huiusmodi fermè pharmacis medicus ille meo me morbo liberauit, quę si nõ grauabimini deuorare, spero futurum, ut & te Nosopone, & te Hypologe febris ista relinquat. HYP. Ego sanè iãdudũ morbo leuatus sum. NOS. Et ipse propemodũ, nisi q̃d mali diu familiaris etiãnum reliquias aliquas sentio. BVL. Istæ paulatim elabent̃, et si q̃d opus erit, denuo κν λόγον medicũ accersemus.

FINIS.

ERASMVS ROTERODAMVS IOANni Emstedio cartusiano S. D.

QVum huc ætatis peruenerim, uir integerrime, tamen ipsa re comperi, me mihi nondum satis notum esse. Siquidem existimabam me tum philosophię pręceptis, tum diutina peneq́ perpetua malorum ferẽdorum assuetudine, satis instructum aduersus istos uulgares, ac propè quotidianos casus, quos à mulierculis etiam uidemus moderate ferri. Cæterum amici Ioannis Frobenij mors inopinata, sic afflixit animum meum, ut mœrorem nullis auocamentis potuerim eximere præcordijs. Iam tẽpus, quod acerbissimis etiam doloribus mederi solet, adeo non lenijt ægritudinẽ, ut paulatim magis ac magis increuerit dolor, quemadmodum solet lentum & insidiosum quoddam febris genus obrepere, quo non aliud aiunt immedicabilius esse. Exedebat me reluctantem cura, penitus medullis insita. Tanto potentius est quod conglutinauit animi inductio mutuaq́ beneuolentia, quàm quod natura coniunxit. Quàm hic mecum litigaui, quibus cõuicijs meam mihi molliciem exprobraui? Vbi nunc est, inquam, ille rhetor, qui splendidis dictis solet aliorum mœrorem uel eximere uel obiurgare? Vbi philosophus ille Stoicus, domitor humanorum affectuum? Vbi theologus, qui docere consueuit piorum hominũ mortem, non luctu lachrymisq́, sed gratulationibus plausuq́ prosequendam esse? Quid multis? Nusquam

me ma-

me magis puduit mei. Nunquam enim antehac expertus sum quãtam uim haberet syncera amicitia, ac mutuus animorum nexus. Fratris germani mortem moderatissime tuli, Frobenij desiderium ferre nõ possum. Non irascor dolori meo nimirum iustissimo, sed immodicũ nimisq; diuturnum esse indignor. Porrò quemadmodũ non erat simplex amor quo uiuum prosequebar, ita nec erepti simplex me cruciat desiderium. Magis enim amabam illum ob liberalia studia, quibus ornandis prouehendisq; uir ille, fatorũ prouidentia datus uidebatur, quàm ob animũ in me propensum, moresq; candidissimos. Quis enim tale nõ amet ingeniũ? Solus erat amico amicus, tam simplex ac syncerus, ut etiã si quid uoluisset simulare aut dissimulare, nõ potuisset repugnante natura, tam prõptus & alacer ad benemerendũ de omnibus, ut indignis etiã ex ipso beneficij quippiam accessisse gauderet. vnde & furacib9 ac decoctoribus erat & gratus & idoneus. Ereptã furto, aut à malæ fidei debitoribus interceptã pecuniam, ea solet alacritate cõmemorare, qua lucrũ præter spem obiectũ, alij. Fide tã incorrupta, ut in neminẽ magis cõgruat illud: Dignus qui cũ in tenebris mices: atq; ut ipse fraudẽ nemini machinabat̃, ita de nullo tale quicq̃ suspicari poterat, tametsi non raro delusus. Quid esset inuidię morbus, nihilo magis imaginari potuit, quàm ij qui cæci nascunt̃, animo fingere possunt, quid sit color. Offensas q̃uis capitales prius condonabat,

q̃ rogaret is qui offenderat, Nec ullius omnino iniuriæ poterat meminisse, contrà nullius quamlibet uulgaris officij poterat obliuisci. Atq; hic sane mea sentẽtia, melior erat interdum, quàm expediebat uigilanti patrifamiliâs. Admonebam interdum, ut in synceros amicos esset qualem esse deceret, in impostores uerbis duntaxat benignus esset, interim sibi cauens ne damnum cum ludibrio lucrifaceret. Arridebat humaniter: Sed surdo canebam fabulã. Vicit omnia monita naturæ candor. Mihi uero quas non tendebat insidias, quas non uenabatur occasiones, ut aliquid obtuderet muneris? Nec unquam uidi lętiorem, q̃ quum uel dolo perfecisset, uel precibus impetrasset, ut aliquid acciperem. Hic aduersus hominis captiones erat opus cautione maxima, nec usquã magis opus erat mea rhetorica, quàm ad excogitandum colorem, quo circa molestiã amici, recusarem quod ingerebat. Tristem enim illũ uidere non sustinebam. Si fortè pannus ad uestẽ erat emptus per famulos meos, ille subodorat⁹, me nihil suspicante iam soluerat. Nec ullis precibus adigi potuit ut reciperet. Arte simili fallendus erat, si uoluissem illum eximere damno. Tale certamen inter nos fuit assidue, longe diuersum à uulgi moribus, dum alter hoc agit ut abradat q̃ plurimum, alter agit ut det quàm minimum. Ne quid omnino daret, efficere non potui, certè moderatissime illius benignitate usum esse me, testabitur, ut arbitror, omnis illius familia. Mihi qc

quid

quid laborum suscipiebatur, amore studiorũ suscipiebat̃. His quum ille cohonestandis, illustrandis, prouehẽdisq; natus uideretur, nec ullum defugeret laborem, nullas uigilias, satis magnum quæstum esse ducens, si bonus autor cum dignitate prodiret in manus hominũ, qui potuissem in hominem sic animatum prædonem agere? Si quando nobis ac cæteris amicis ostendebat primas paginas magni cuiusdam autoris, ut gestiebat gaudio, quæ uultus alacritas, qui triumphi? Diceres illum iam tum totius operæ fructum cumulatissime percepisse, nec aliud expectare præmium. Non hic attollam Frobenij laudes aliorũ uituperatione. Nimis notum est, quos autores, q̃ mendose, quàm sordide excusos nobis typographi quidam etiã è Venetia Romaq; miserint. Ex huius autem domo paucis annis, quæ uolumina, quanta cum dignitate prodierunt? Eoq; suam officinam à contentiosis libellis, unde quæstum haud mediocrem fecerunt alij, semper immunẽ seruauit, ne literas ac disciplinas aliqua contaminaret inuidia. Hieronymũ bis excuderat. Ab Augustino pari cũ dignitate rursus excudendo, quũ amici complures, in quibus & ipse, deterrerent, tamẽ totum animum sic huc appulerat, ut inter familiares subinde dicere solitus sit, se non optare longius uitę spatium quàm quod absoluendo sufficeret Augustino. Primum ac secundum Tomos uidit absolutos. Pium erat hominis uotum, & erat animus ille dignus immortalitate, sed ali-

ter uisum æterno numini, cuius in abdito sunt cõsilia, quæ nobis scrutari fas non est, reprehendere nefas. Aetas erat prouectior, sed ualetudo ita prospera, uegeta, ut per omnem uitam nunquã morbo decubuerit. Ante annos sex e summis gradibus in solum lateritiũ decidit, casus erat plusq̃ letalis, conualuit tamẽ, sed ut solet, mali reliquijs in corpore residentibus, utcunq; dissimulabat ille. Tã erat animi generosi, ut puderet dolere. Anno priusquã moreretur, corripuit illum grauissimus cruciatus circa talum dextri pedis. Ibi præsto erant medicorum officia, quæ nihil aliud q̃ exasperabant malum, dum de morbi genere dissentientes, alij aliud admouent remedium, nec deerant qui autores essent pedem resecandum esse. Tandem aliunde uenit medicus, qui dolorẽ hactenus sedaret, ut & tolerabilis esset, & somni cibiq; sumendi permitteret facultatem. Demum ita confirmatus est, ut bis equo proficisceretur Francfordiam, malo in dextri pedis digitos relegato, quos solos flectere non poterat, cætera ualens. Tum à me, tum à medico frequenter monitus, ut rarius prodiret in publicũ, aut uestitu contra frigus munitior prodiret, nõ obtemperauit, pudendum esse ratus, si quicquam omnino pristinæ consuetudinis omittens, morbi speciem præ se ferret. Iam & duos manus dextræ digitos stupor occuparat: morbi imminentis præludiũ. Dissimulauit & hoc, parum uirile ducens quicq̃ morbo cõcedere. Deniq; dum in sublimi agit nescio

ſcio quid, correptus, ut eſt probabile,ui morbi, in pauimentum decidit pronus, non ſine graui cranij uulnere. Delatus in lectū nec oculos attollebat, nec ullum ſenſus indicium dedit, nec ullā omnino uitę ſignificationem, niſi quod manum ſiniſtrā mouebat,nam dextrum latus omne diſſimulata paralyſis ſtupefecerat. Ita biduum conſopitus,ſub mortem experrectus eſt,ægre paulū diductis oculi ſiniſtri genis,lingua tamen immobili: nec ſuperuixit ultra ſex horas. Igitur noſter Frobenius rebus humanis exemptus, ad uitam tranſiit feliciorem, Vxori,liberis,amicis,acerbo luctu, toti ciuitati notisq; omnibus graui ſui deſiderio relicto. Ob huius mortē decebat omnes qui colunt bonas literas,pullatos, lachrymas & luctum ſumere, apio, floſculisq; ſepulchrum ornare,lymphas aſpergere,odores adolere, ſi quid talibus officijs proficeretur: Certè illud erit gratitudinis,ut omnes defuncto bene precemur,memoriamq; laudibus debitis celebremus,Officinę Frobenianæ faueamus, quæ non ſolum non ceſſabit ob heri ſui deceſſum, ſed ſumma ui adnitetur, ut quod ille inſtituit, ſemper in maius meliusq; prouehatur.

Epitaphia Dorpiana ſerius accipis fortaſſe quàm expectaras,ſed tamen cum fœnore,quod moram excuſet.

Epi-

EPITAPHIVM IOANNIS FROBENII PER ERASMVM ROTERODAMVM.

Arida Ioannis tegit hic lapis ossa Frobeni,
Orbe uiret toto, nescia fama mori.
Moribus hanc niueis meruit studijsq; iuuandis,
Quæ nunc mœsta iacent orba parente suo.
Rettulit, ornauit ueterum monumenta sophorum,
Arte, manu, curis, ære, fauore, fide.
Huic uitam in cœlis date numina iusta perhennem,
Per nos in terris fama perhennis erit.

Eiusdem in eundem Græce.

Ὧδ' ἰωάννης καθεύδει τυπογράφος φροβένιος,
Οὐδὲν ἄλλῳ πλέον ὀφείλει τὸν λόγον σπουδάσματα.
Μὴ νεκρὸν θρηνεῖτε, ζῇ γὰρ καὶ πνεῖ, πνεύσων ἀεὶ,
Τῇ τε ψυχῇ, τῇ τε φήμῃ, τοῖς τε βίβλων λειψάνοις.

In Ioannem Frobenium Glareani.

Est Nemesis, sunt fata bonis planè inuida rebus,
Numinaq; humanis læta subinde malis.
Restitui Musas sacrasq; Frobenius artes,
Sustuli ab immundo squalida multa situ,
Maiestas Euangelica, ac sacer ille uirorum
Proximus à Paulo qui solet esse chorus,
Multa mihi debent, debet lingua utraq; multa,
Debet et officijs docta iuuenta meis.
Hic scopus unus erat, cunctis prodesse, nocere
Nemini, amare bonos & tolerare malos.
Mors rapuit, mors fortunæ grauis æmula nostræ.
Heu quò prisca fides, quò pietatis amor?

Sim-

Simplicitas prudens, rerum prudentia simplex,
Extulerint clarum nomen in astra meum.
Est mihi sementis multo sudata labore,
Ast alij lætæ commoda messis habent.
Nil queror, haud fallet mea merces unica Christus,
Fœnore centuplici qui benefacta refert.

Hilarij Bertulphi elegia in defunctum Ioannem Frobenium.

Lis orta in cœlis, sacer ille Hieronymus ante
Aphro incedebat comptior Aurelio.
At nunc Aurelius capit Augustinus honorem,
Et cultum hunc, illi quem Basilæa dedit.
Dalmata zelotypus Parcas adit, ut uel Erasmo
Vel rumpant uiridi stamina Frobenio.
Contra orat iunior. Vafer hic, exorat, ut est bos
Lassus, humi figens fortius ille pedem.
Paucos Frobenios, sed nullum prorsus Erasmum,
Inueniemus ait ex tribus una soror.
Sic desiderio duplicent ut fila, uel Ossa
Reclamante, data est optio Frobenio.
Vtrum se malit'ne an fato occumbere Erasmum,
Quo sine consultum non erit Aurelio.
Tum uero pietas in apertum insigniter illo,
Prolata articulo Frobeniana fuit.
Protinus extincto ne tanta darentur Erasmo
Damna pijs studijs, maluit ipse mori.

Erasmus Roterodamus in Brunonem Amerbachium.

Hic iacet ante diem fatis ereptus iniquis,
Gentis Amerbachiæ gloria prima Bruno.

Non

Non tulit uxori superesse maritus amatæ,
Turtur ut ereptæ commoriens sociæ.
Hunc blandæ lugent charites Musæq; trilingues,
Canaq; cum casta simplicitate fides.

Iacobi Volcardi Bergensis in
Martinum Dorpium.

Nos uelut extinctum te Dorpi plangimus, at tu
Viuis, & optata nunc frueris requie.
Nos tibi Nestoreos toties optauimus annos,
Vicit uota deus, quippe perhennis eris.

Eiusdem in eundem distichon.

Ζῶν θνητοῖς ἄρα πᾶσι φίλος, χαρίεις τε ἔνηθα,
Νῦν δὲ μετ᾽ ἀθανάτοις Δόρπιε δόρπον ἑλεῖς.

Erasmi Rot. in Iacobum, pau-
lo post defunctum.

Dum Dorpium assidere mensis cœlitum
Iacobe gaudes, ille eodem te uocat,
Ita nos uicissim gratulamur & tibi,
Datum esse, mensis assidere cœlitum.

Epitaphium Martini Dorpij per
Conradum Goclenium.

Mortalem posui uitam, sed fœnore multo,
Namq; æterna mihi bis modo uita datur.
Corpore quod posito superis mens addita diuis
Aeternum æternis est fruitura bonis.
Hæc sunt insonti post funera reddita uitæ
Præmia, promeruit hoc pietatis amor.
Cuius inextincto mihi mens flagrauit ab igni
Omnis terroris libera, nixa deo,
Nec minus in terris est uita superstite fama

Parta, sed hanc artes contribuere bonæ.
Quarum cultor eram, quarum monumenta reliqui,
De nobis semper quæ documenta dabunt.
Non igitur una defunctum dicito lector,
Sed nunc me natum cum Libitina tenet.

Francisci Crauenueldij Centon Homericus.

Ὦ πάτερ ἡμέτερε Κρονίδη ὕπατε κρειόντων
Ὡς ἀπόλετ' Μαρτῖνος ἐμὸς, μέγα κῦδος Ὀλλάνδων
Δώρπιος, ὃν μοῦσαι ἔτρεφον κατὰ δώματα καλὰ
Ἀμβροσίην καὶ νέκταρ ὀπάσαντες ἐνὶ οἴκῳ.
Θήσεσθ' ἀθάνατος, καὶ ἀγήραος ἤματα πάντα
Ἄξιος ἦν· ὁ δὲ Λωβανίην ἐκατώρθασε μοῦσαν.
Ὡς δὲ λογῶν θείων πεπνυμένος, οὐδέ τι θυμὸς
Μάταιος, τὸν θεσπέσιος ἐδίδασκεν Ἀπόλλων.
Θάπτομεν ἀχνύμενοι θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέοντες
Τύμβον χεύαντες, καὶ ἐπὶ στήλην ἐρύσαντες
Δεινὴν ἀκροτάτῳ τύμβῳ γράψαντες ἀοιδήν.
Ἀλλὰ τὶν νῦν στιβαρὴν κλαίειν προσφιλὸν ἀνάγκην
Σῶμα μόνον φθαρτὸν, τὰ δ' ὀλύμπια δώματα ναίει
Ἡ ψυχὴ, μακαροῖσι φίλη μιχθεῖσα θεοῖσι.

Versus ab eodem.

O pater altitonans, princeps iustissime regum,
Vt periit Martinus, magnum sidus Holandis
Dorpius, ille domi musis nutritus alumnus,
Ambrosiam nectarq; bibens, dignissimus ille
Immortalis, & haud tamen unq̃ ætate senescens
Viuere, Louaniam correxit carmine musam.
O quàm diuino sapiens sermone fluebat,
Quanq; nihil uani, docuit quem magnus Apollo:

Huic

Hunc tamen extulimus, lachrymisq́; per ora subortis
Rorantes tumulum, superimpositaq́; columna
Triste super summum carmen funebre sepulchrum
Scripsimus, at rigidum quid prodest plangere fatum,
Solum corpus obit, sed sidera, spiritus expers
Criminis, & diuûs clarissimus usq; tenebit.

Erasmi Roterodami epitaphium in mortem Martini Dorpij.

Martinus ubi terras reliquit Dorpius,
Suum orba partum flet parens Hollandia,
Theologus ordo luget extinctum decus,
Tristes Camœnæ, candidis cum Gratijs.
Tantum patronum lachrymis desiderant,
Louaniensis omnis opplorans schola.
Sidus suum requirit, o mors, inquiens,
Crudelis, atrox, sæua, iniqua & inuida,
Itan' ante tempus floridam arborem secans,
Tot dotibus, tot spebus orbas, omnium
Suspensa uota? premite uoces impias,
Non perijt ille, uiuit ac dotes suas
Nunc tuto habet, subductus æuo pessimo.
Sors nostra flenda est, gratulandum est Dorpio.
Hæc terra seruat mentis hospitium piæ,
Corpusculum, Quod ad canoræ buccinæ.
Vocem, resignans optima reddet fide.

QVERIMONIA DE OBITV IMMAturo doctiſſimi facundiſſimiq́ue uiri Martini Dorpij per Adrianum Barlandum.

VIctrix quondam luxit ademptum ſibi Roma Ciceronem. Luxit ademptũ ſibi nobilis Mantua Vergilium. Hęc poëtam inclytum, oratorem illa præſtantiſſimũ. At Louanium luget ereptum ſibi lumen & ornamentum unicum Martinum Dorpium, hunc & poëtam & oratorẽ & incomparabilem theologum. O ſæua, ò fata inuida, ò inuida fata, cur tantum uirum Neſtoreis annis, longiſſima uita digniſſimum, huic urbi, imò orbi tã iuuenẽ ademiſtis? Hic primus in hac ſchola, in hoc emporio diſciplinarum iacẽtes excitauit literas. Primus in hoc Muſarum domicilio amœniſſimo iuuentutem docuit Plautina, Terentianaq́ue uerba ſonare. Primus tricas expulit ſophiſticas. Inde quũ iam annos aliquot magna cum laude pubem inſtituiſſet Lilianam, ad diuinæ ſapientiæ ſcholam accedens, breui hic ita promouit, ut inter ſuos & hos magno atque excellenti ingenio uiros, unus admirationi eſſet omnibus. Quo uero tempore eſt huic Louanienſis ſcholæ credita dictatura, rebus etiã domeſtica diſcordia turbulentiſſimis, ita pręfuit, ita uigilauit, ita attẽte & alacriter publicum egit negotium, ut nemo non eum optaret dictatorem perpetuum. Nuſq̃ non audirẽtur eæ uoces: Dorpius uiuat unica nobilium uirorum gloria, vnicum florẽtis decus Louanij. O ſæua ſæua, ò fata inuida, inuida fata, cur tantum uirum Neſtoreis annis, longiſſima uita

dignissimum huic urbi, imò orbi tam iuuenem ademistis?

Desiit inter homines esse hic uir eximius, Anno uirginei partus, M D X X V. Pridie Calend. Iunias. Sepultus in cœnobio cartusianorum.

Epitaphium Martini Dorpij Lodouico Viuete Valentino autore.

Resiste uiator, Saxum hoc magni illius continet cineres Dorpij. Quem nuper iuuenem terris mors eripuit, digna enim cœlo, indigna huius tẽporis plusq̃ ferrei tumultibus mens uiri fuit.

EIVSDEM.

Tu quidem properas uiator, sed nos abs te exiguam morulam poscimus, tua'ne magis caussa, an nostra, ubi hæc cognoueris, cẽseto, Martinum Dorpium theologum (Qui sic uixit, ut terra esset eo indigna, sic mortuus est, ut cœlum uideretur illũ terris inuidere) mors superûm ministra, mortalibus eripuit, immortalibus reddidit: Animã tulit deus, carnẽ morbus, ossa nobis ad solatium relicta, nos hic condidimus. Amicis talem mortem precamur, inimicis, ne quid dicamus parum christiane, talem uitam. Ecquid te pœnitet rem tantam cognosse? Vale & uiue.

Martini Dorpij epitaphium per Germanum Brixium.

Dorpius effertur, fatum hoc lugete sodales,
Quos sophiæ oblectant dogmata uera sacræ.
Vnus enim hic studijs uestris, dum uixit, honorem
Et tulit, & lumen mortuus usq; feret.
Lugete & quoscunq; nouem uoluere sorores

Sacra

Sacra Caballino proluere ora lacu,
Idem etenim studijs uestris sic fauit, ut illum
Et uiuum coleret uester ERASMVS *honos,*
Et modo defuncto pius ipse parentet, amicos
Et quoscunq; rogat, fungier officio,
Quorum inter uarios quæstus, hoc Brixius *urnam*
Signabat mœrens carmine Dorpiada.
Dorpius *hic situs est,* Batauis *qui natus in agris,*
Doctrinæ Latiæ calluit omne genus.

M. Allardi Amstelredami in mortem
Martini Dorpij ἐπικήδιον.

Martinus ille Dorpius, ille Dorpius,
Cunctis abundans dotibus, quum corporis,
Tum mentis, incertisq; fortunæ bonis,
Grauiter diu tentatus ictero nigro,
Ictis & haustis mordicus præcordijs,
Virides per annos, integer æui concidit,
Martinus ille Dorpius, ille Dorpius,
Hollandiæ decus, decus Germaniæ,
Atq; adeo columen orbis, orbis maximum
Miraculum, rarumq; item spectaculum.
Decus illud orbis, atq; præsidium unicum
Et literarum & literatorum omnium,
Linguæq; uindex triplicis perstrenuus,
Eximius ille mentis interpres sacræ,
Nouæq; legis gratiæ preco uigil.
Gnauus sibi concrediti pastor gregis,
Dulciq; uitæ pabulo pascens oues,
Ducens, reducens, ne rapax uoret lupus.
Tum Christianæ splendidum modestiæ
Columen, benignus, integer ac abstemius,

Alumnus omnis pacis & concordiæ.
Tum Christianismum referens purissimum
Candore uitæ, moribus integerrimis,
Turbæ fuga, domestico silentio,
Amore recti, charitate proximi,
Frugalitate, iugibus liturgijs,
Seræq; noctis lucubratiunculis.
Aetate rebus lubrica Veneris malæ
Et Bacchicis nunquam uacans, aut obsequens;
Pudore cœlebs uirgineo semper manens,
Teneris ab annis litteras doctus bonas,
Triplici ualens lingua, ualens facundia,
Bonaq; mente iudicioq; acerrimo,
Lepidus poëta, rhetor haud inelegans,
Et pauca multis, multa paucis differens,
Numeroq; dicens, opus ubi esset dicere.
Studijs honestis semper impensissime
Fauens, eorumq; excolens antistites.
Festiuiter, salse'ue dictis plurimum
Gaudens: iocosq; sed ingenuos referens libens;
Vehemens in iram, cætera prorsus candidus.
Martinus ille Dorpius, ille Dorpius
Virides per annos, integer æui concidit.
Qui sermo, quæ præcepta, quæ recondita
Antiquitatis huic fuit peritia?
Veteres ad unguem omnes tenebat Theologos;
Idem palæstræ nec rudis scholasticæ,
Laciniosis disputatiunculis,
Simul ad periclum ingenij descenderet.
Superi dedisse sat uidentur hunc uirum;
Vt alter esset Mercurius, reconditis

In rebus interpres, fidelis, ac sagax,
Cuius sagaci ingenio, & admirabili
Sagacitati, & auspicijs dexterrimis
Quum Liliano præfuit collegio,
Louaniensis debet huic Academia.
Primum quod illic maxima cum gloria
Bonæ docentur litteræ, quas omnium
Primus sepultas excitat, primus colit,
Primus iuuentam plurima cum gratia
Terentianas perdocet comœdias.
Atq; hinc profectum prædicant quod undiq;
Quocunq; te deflexeris, iam Græcula
Recantet Echo, quod sacræ abditissima
Linguæ silenter prodeunt mysteria,
Asserere sese studia pergunt optima,
Bonis, & amplis passim ouant stipendijs.
Quod mille seclis exulans incognita,
Contaminata, sordidata, & obruta
Tum captiunculis, tum gryphis sophisticis,
Glossematis, & quæstiunculis friuolis,
Ne dicam ineptis, frigidis & impiis,
Vetus illa tandem redijt & theologia,
Quam pro uirili Dorpius primus docet,
Feliciterq; plurimi inde edisserunt.
Spartamq; nactus hanc adornauit probe,
Pro dignitate se gerens prouinciæ,
Quam cum decore plus satis prouexerit.
Mirumq; dictu, Euangelion ut maximo
Ardore semper docuit, ac uixit, quibus
Legit subinde plausibus Paulum, quibus
Instruxit illum scholiolis uere aureis?

Proinde ſemper unice charus fuit
Tantumq́; amatus, nemo quantum amabitur,
Magno illi ERASMO, ſiue quod iunctiſſima
Fuit neceſſitudo, ſiue quod fuit
Commune ſtudium, ſiue quod medijs ſcholis
Eraſmianam prædicauit gloriam,
Studium, laborem, induſtriam, modeſtiam,
Integritatem, animiq́; dotes cæteras.
Tum litteratis, tum probis, tum candidis
Semper fauens, ſemperq́; præſto erat omnibus,
Opem benigne ſuggerens pauperculis,
Studio occupatis opificio'ue deditis,
Nec otioſos eſſe ſuſtinens ſuos,
Subinde honeſtis occupat negotijs.
Amatus omnibus, omnibusq́; amabilis,
Præter loquaci quàm gregi ſophiſtico,
Et rabulis forenſibus, quibus fuit,
Vt eſſe par eſt, ſemper infeſtiſſimus,
Lacinioſos nil morans ſermunculos,
Cui grata ſemper ſimplicitas, ſed improba
Loquacitas nunquam uiro cordi fuit.
Qui ſemper hoc ſibi crederet negotij
Dari, ut theologos luderet ſophſticos,
Peſtem bonarum litterarum peſſimam:
Varijsq́; libris æditis inceſſeret:
Palamq́; ſalſis defricaret ſcommatis.
Hic animus uſq;, hic unicus fuit ſcopus,
Hæc ſumma cura, hæc propria ſemper functio,
Bonas ut horas collocaret non male,
Nullius, æque ac temporis parcus, rei.
Nimio proinde ſe ſtudio ſacro ferè

Con-

Conficeret imò fundìtus se perderet:
Commodus ut esset omnibus, haud incommodus.
Ne quem suis depingeret coloribus:
Aspergeret'ue quempiam labecula:
Traduceret'ue nominatim quempiam:
Licet impudenter prouocarent sæpius:
Rubiginosis roderentq; dentibus.
Lippi, φίλαυτοι, putidi, morosuli,
Trucibus notandi iure Iambis optimo.
Homines malignos esse credas forsitan.
Ego esse miseros puto, quibus nemo placet.
Casus per omnes omnibus usq; exercitus
Malis, & aduersis, patiens semper tulit:
Tuam usq; præstans Socrates constantiam,
Prudentiamq; simplicem præ se gerens.
Vulgo laborans de secus meritis, bene
Semper mereri, & pro malis bona reddere.
Non arcuato scorpionis uulnere
Mordens, lacessens, conficiens, & enecans.
Contentionis abstinens, & litium.
Omnes in hoc neruos, & omnem industriam
Tendens, & adhibens, contrahens & explicans,
Facies in omnes uersus, anxieq; omnibus
Studuit modis, uti nouas tragœdias,
Rabidos tumultus, atq; conflictus truces
Per litterarum hostes bonarum pessimos
Subinde motos, maximo discrimine
Sedaret, ac mox suauiter componeret,
Studijs ut omnes uiuerent concordibus,
Omnesq; pace degerent gratissima,
Suosq; quisq; Marte satageret probe,

Peregrina, uaria, uana, ficta, friuola,
Contentiosa, ac pestilentia dogmata,
Explosa sanctos per patres olim, quibus
Vbiq; uulgus imperitum fluctuat:
Itidem ut uenena exhorruit praesentia:
Scriptis libellis plurimis doctissimis,
Adeo refarciens eosdem flosculis,
Salibus, lepore, schematis, sententijs,
Vt haesites primum quid admirere ibi,
Fucata contra dogmata, quae nunc omnium
Rudium (quibus procliue sit diuendere
Fumum, affricare & pestilens contagium)
Obambulant, & iactitantur per manus,
Domus, tabernas, fora, scholas, conclauia:
Mox editurus syluulas perferti les,
Quas iam diu multumq; perpoliuerat:
Sed morte rapta praecoqua illa industria.
Solidaeq; sitiens gloriae, & famae bonae.
Conatus ille non satis feliciter
Cessit, quod omnes nunc ferunt aegerrime,
Omnisq; doctorum omnium dolet chorus,
Moestum parans epicedium carmen uiro.
Extincta siquidem est illa sanctimonia,
Indignus orbis qua fuit corruptior,
Et illa uitae integritas, quam non male
Deus inuidere uisus est mortalibus,
Coniuncta uirtuti illa fortuna uberi,
Acumen illud, illud ingenium sagax,
Dignum quod omni permaneret seculo,
Sed cesso plura conqueri, unum te monens.

EPITAPHIA.

Siluius doctoratus illũ insignibus ornare. Idem Aeneæ ipsius, id est Pij, quum papa esset, idẽ Pauli quoq;, idem Cæsaris inuictissimi medicus. Hũc omnes propè superioris Germaniæ principes uelut præsidiũ quoddã & numen uitæ salutisq; suæ coluĩt atq; uenerant, ut quod de eloquẽtissimo uiro legimus, huic non incõmode tribuerit quisq̃, esse sibi par orbi terrar℞ ingeniũ, quippe cuius curæ, cuius tutelæ summa se diuinar℞ humanarũq; rerum commiserit potestas. Quod si id quoq; putarem ad laudes præstantissimi uiri pertinere, & diuitijs rerũ uilissimæ parti in humanæ societatẽ gloriæ irreperẽ liceret: cõmemorare possum domum paternis opibus auitisq; fundatam: Præter hæc ob summam erga principes uiros obseruantiam maximis beneficijs auctam, pro unius morbi nonnunq̃ depulso periculo mille aureos ampliusue numeratos. Sed quid deesse sibi in tanta imperatoris gratia posset? quam præcipue ex armor℞ insignibus, quæ sibi cõtulit, licet intueri: ut ipsum in decus familiæq; ornamentũ, quantum proxime potuit, sit adiunxisse uisus. Ver℞ non est mihi uir clarus ita laudandus, & ille quidẽ fluxa hæc esse nouit, atq; sicut non esse fugiẽda, quũ se offerãt: ita nec quum habeas magnopere amplectenda, quũq; uoluerint abire, in fortunæ sinus, unde sunt profecta, regerẽda. Quid Georgiũ dicã fratrẽ Matthiæ iuris ciuilis põtificijq; doctorẽ peritissimũ? Cuius si ingenij magnitudinẽ, si præstã tiam eruditionis, si admirabilem æqui boniq; curam

ram exequi partē, fieri non posset, ut eò quò tendimus, perueniret oratio. Quinetiam properāti mihi cunctaq; retinacula rumpenti, manū inijcit prensatq; Clemens frater istius alter, neq; sinit ut sua se laude fraudē: Iuuenis eo decore, ea suauitate atq; gratia, ut inter primos cubicularios Cæsaris habeat, eiq; gratus in primis uniceq; dilectus. Hæc quidē uelut signa sunt pauca de multis, quibus ducibus tam domi suæ tritū Herculis illud biuium Matthias noster ingressus, plenū laboris, plenū sudoris, ad uirtutis iter, per aspera obstantiaq; cuncta prorumpens, mollē illā uiā blandissimosq; pandentē sinus, reliquit, spreuit, effugit. Quumq; sciret nobilitatē, cæteraq; generis decora (ut sapientes autores tradiderunt) si per se cōsideres, ad titulos magis q̄ ad rem pertinere totis (ut aiunt) neruis contendendū statuit, ut & ipse q̄ dignissimus his, & hæc ipso q̄ dignissima uiderētur. Igit̄ quū puerilibus studijs excessisset, possetq; per ætatē animus concipere maiora. Imperatoriæ primū aulæ fuit illatus: quodq; longissimis alij assequūt̄ meritis, id quoq; ultro est ei cōcessum, ut ministerio cubiculi principis adhiberetur, prima adolescētiæ rudimēta in regia orbis terrarū, ut maxima sicq; sanctissima, poneret: atq; à tenero disceret nihil sine uirtute magnū parari, contrà uerò cū ea, recta cūcta sperari. Ibi rebus omnibus, omnibusq; studijs, quæ non modo ad ætatis illius cōmēdationem, sed ad egregiā etiā futuræ gloriæ spem pertinent incredibile dictu

quan

quantã beneuolentiã, quã gratiã, quæ studia circà se omniũ excitarit. Nemo adeò fuit qui dubitaret, si arma sequi, militiãq́, quẽadmodũ facturus putabatur, tractare cœpisset, futurũ, ut quantum sibi dignitatis ex mitioribus his atq; proinde melioribus artibus accessit, tantũ splendoris famæq́ ex illis esset additurus. Rerũ nanq; natura sic est, Proferunt se maturius magnarũ rerũ exordia, sicut & territura nos tonitrua densis adhuc septa nubibus, horridius fremunt: sic uersura in se mẽtes hominum oculosq́ uirtus, pleniore statim gradu ad id tendit, ad quod omnes eam aliquando peruenire potuisse mirentur. Postea uero animum ad priora studia reflectens, quũ sibi persuasisset eruditioni cuncta doctrinæq́ posthabenda, missione rursus accepta, toto se ad philosophiam impetu uertit, & quod intercapedinis à studijs fecerat, non modo nihil abstulisse, sed nouos uelut stimulos alacrioresq́ uires collegisse crederetur. Viennã ergo urbẽ totius Germaniæ studijs clarissimã profectus, breui, audiẽdo, disserendo, meditãdo, eã de se præbuit opinionẽ, ut & liberaliũ artiũ doctissimus haberet, & omniũ cõsensu fieret doctor. Hic aũt ut patris sui, sic ut bonorũ, ita & gloriæ esset hæres, ne'ue in tã præstãti familia ullũ sine exẽplo decus maneret, quum diu secũ multũq́ reputasset qua potissimũ se uia tolleret humo, caputq́ insereret astris, tãdẽ sedit in aĩo medicinã uelle cõplecti, cui⁹ discẽdę causa doctiss. hãc petẽs urbẽ, ea modestia, grauitate, digni-

dignitate se gessit, quam semper in eo uidistis, quam'que tam præclaro, tam egregio donandam munere censuistis. Vnde igitur ordiar? quod initium sumã? quam'ue primã laudẽ ipsius attingã? Honestissimã'ne doctoris gratiã commemorẽ? firmissimum robur dicã? tranquillissimam ualetudinẽ narrẽ? Notiora sunt hæc q̃ ut eis quicquã à nobis dicendo possit laudis afferri, & quæ oculis malo uestris, q̃ prędicanti mihi credatis: Tum q hæc quæ apud nonnullos populos naturæ benignitate habentur, in Germano (ut magnis est autoribus uisum) superiore pręsertim, ut ipse me blandius tractem, ius sunt potius naturæ q̃ munus ipsius. Quid maximã ingenij uim, quid summam exequar doctrinã? Quantus in dialecticis, quantus in physicis sit disserẽdo, sæpe ipsum audiendo, cõtra'que dicendo ęstis experti. Nam facũdiam quam (ut uerũ fatear) in ipso ne magnopere suspicabar quidẽ, tantã in eo, cum nuper apud illustrissimum principem diceret, expertus sum, quanta non modo in homine aliarũ artiũ detẽto studijs esse posset, sed quanta in multis, quorum hæc sola cura esse solet. Audistis eã quoque doctrinæ partem, quæ rationem tradẽs bene uiuendi, mores hominũ mentes'que ad optima instituit ac format, quis non plane fateatur hanc ita in animo tenere defixam, ut nõ didicisse, sed natus ad eam uideri possit? Excute quæso uerum. Considera in tanta erga ipsum fortunę benignitate summã continentiã, Inter tã uaria hominum ingenia omni-

omnibus acceptam, in hac ætatis insolentissima parte, tantā moderationē. Vide constātissimū inter difficilia, in magnis erectū, diligentissimum in minimis. Hæc quisquis perspexerit audeat dicere quicq̄ sibi eorū quæ ad præcepta pertinent bonæ integræq; uitæ deesse? Iam occurit nutrix illa rerū humanarū & unica salus medicina, quā, ne qd in futurā expectationē sui minuā, promittere malo q̄ laudare. Audietis, quotidie licebit interesse, cōgredi quoq; & experiri licebit. Cognoscetis hominē q̄ uestræ per omnia satisfaciat opiniōi, spē, quinetiā omniū desideria superabit. Tū scietis uerū hoc esse, honestas artes quocūq; se flexerint cumulo rapi, & sicut arbusta quædā quæ tenebris inclusā, ubicūq; patuit cœlū toto se porrigunt trūco: Ita uirtutē quū bona fide animo se naturæ felicioris immersit, uno uelut tractu reliqua secū studia p̄clara proferre. Gaudeo me Hercule, atq; si qd mihi creditis, & huius nostræ natiōis, & uestro in primis nomine triumpho, tam felicia mihi cūcta, tā fausta propono. Quid enim hoc rectore poterit esse aduersi, si cū uirtute oīa sequūda? Nemo in illo quicq̄ inconsultū metuat, prudentissimus est. Nemo insolentiā animi cogitet, modestissimus est. Nemo iniuriā timeat, æquissimus est. Benemerentes sua cōfirmabit humanitas: lāguidos excitabit industria, improbos seueritate cōpescet, uidebitisq; hanc rēp. uestrā omnibus numeris perfectā, & si quando recte, nūc rectissime constitutam. Quod si quid longius pro-

cio, non tantũ sibi unius gratiam anni debebitis. Quicquid ab integritate primæ uestræ institutionis detraxit uetustas, restituet, purgabit quoque quam longa negligẽtia partem uitia presserunt, eorꝫ qui hunc post se gesturi sunt honorẽ mẽtes laudis uirtutumq́ꝫ suarꝫ accendet exemplo. Quis enim tam iacentis erit animi, quem non excitet: Quis tam frigide ignauus, quem non inflammet tantus gloriæ subiectus stimulus? Fax tanti prælata fulgoris? Cõtinget hoc probitati ipsius pulcherrimum, ut eadem opera se maiorẽ, meliores alios fecisse dicat. Ecquid ergo huius ornatissimi uiri decus uirtutesq́ꝫ inclytas agnoscitis? Agnoscitis certè, atqꝫ etiã pridẽ agnouistis, quũ speciosissimo ipsum magistratu, hocq́ꝫ rectoris insigni nomine dignati fuistis. Quoniã id parꝫ uobis uidebat, quod omnibus ante hac maximũ fuit, nec satis putastis si solita, si usitata acciperet: & honorem quẽ hoc anno sibi ne sperare quidẽ licuisset, qui tãtis precibus, tãto ambitu impetrari solet, ultro uolẽtibus propẽsisq́ꝫ animis obtulistis. Detraxistis uobis iura uestra, uetustisq́ꝫ priuelegijs cessistis, & seruatum tot annis morẽ, hæc (quę oĩa) uirtus sua perfregit. Laudãdus ipse quod hæc meruit, laudãdi uos qui dignã meritis eius præmia dedistis. Iam illustrissimo principi nostro Galeaceo Mariæ uiro, qui hoc nostrũ seculũ orbẽq́ꝫ terrarꝫ gloria gestisq́ꝫ rebus exornat, quã satis dignã orationẽ comparem, prorsus ignoro. Prudentiã' ne mirer? Vt qui in tanto beneficio tam diligẽter

pro-

prospexit, ut id non nisi dignissimus haberet? An magis benignitatē laudem? Qui quū merita uiri tanto honori paria uidit, precibus nostris sine cūctatione concessit. Sed quis illi laudādo sufficiet? Qui non modo ueterū laudes splendoremq́ꝫ prioris ætatis, sed ingenia laudantium uiresq́ꝫ superarit. Te uero, Matthia præstantissime, supererat ut admonerem, atqꝫ ad colendā iustitiam res'qꝫ amplificandas tui ordinis hortarer, sed totū hoc superuacuum tua mihi integritas fecit. Audeo te tibi monitorem dare, tuis cōsilijs, diligentiæ, industriæ cōmittere. An scilicet ego timeā ulla de parte arctissimā æquitatis regulā transiturū? Facturū aliquid indignū te, aut tuis moribus alienum, ne'ue ab honestissimis uitę tuæ rationibus aberres? Vnde hic mihi metus? aut quid de te mihi nō debeo polliceri? Qui me his omnibus pro te exhibeo sponsorē, improbe petiero ut fidei meæ uelis habere rationē. Persuasum em̄ mihi est, quum ego de aliena sim solicitus laude, fieri nō posse, ut tu quicq̄ de tua remittas. Vides ex cuius uiri q̄ integri, q̄ ornati manibus hūc suscipias magistratum. Vides quāti muneris hi tuis humeris imposuerint pondus, qui quū oia debere se tuis uirtutibus uoluerūt uideri, tu certe omnia illorum beneficio debes. Vides quantopere tibi sit illustrissimi principis dignitas tuenda, quāta enitendū cura ut ratio cōstet, et sibi, quod te alijs credidit prę ferendum, & tibi quod res noui exempli & antehac incognita in te sit constituta. Vnum est quo

satis-

ſatisfacere omnibus poſſis, ut tecum ipſe certes contendasq́ꝫ, quum priuatus cuncta rectiſſime geſſeris, ne à te in tāto poſitus honore uincaris. Vos autem quos omnes gaudentes alacresq́ꝫ totis hic animis adeſſe cerno, tam optatæ diei nobis hodie præſtate fructum lætum, & eum lætis feſtisq́ꝫ uocibus concelebrate, extollite, ornate. Virtutes amate uiri: fauete laudibus: colite dignitatem, & eum quem tantis ſtudijs, tanto conſenſu, in hoc ordinis ueſtri faſtigio collocaſtis, obſeruantia, diligentiaq́ꝫ ueſtra firmate, fulcite: ut quēadmodum initum uobis eſſe certamen, hinc ueſtræ beneuolentiæ, illinc uirtutū ſuarum proſpiciunt omnes, ita nemo ſit qui cui uictoria ceſſerit proſpicere poſſit.

DIXI.

Hanc orationē fortè nacti, cæteris adiecimus, quod nihil ſit eius uiri, quamuis ex tēpore, q̄uis alieno ſtomacho ſcriptum, quod non diuinitatē quandam præ ſe ferat. Quo magis admiror eſſe qui lucubrationes illius uel premant uel perire ſinant. Aliquoties durius utitur pronomine. Id quoniam ſciebam librariorum incuria non eſſe commiſſum, mutare nolui.

(*)

FINIS.

IACOBI CERATINI DE SONO LITERARUM, præsertim GRAECARVM libellus.

ALDI MANVTII, de uitiata uocalium ac diphthongorum prolatione, πάρεργον.

QVINTILIANVS LIBRO PRIMO:

An cuiuslibet auris est exigere literarum sonos? nō hercle magis, quàm neruorum.



COLONIAE,
Ioannes Soter excudebat,
AN. D M XXIX.

D. DES. ERASMO ROTERODAMO IACOBUS CERATINUS, S.



NTER MVLTA ET VAria munera, quib⁹ ornauit deus hominē, atq; ab alijs separauit animantibus, non in postremis ponenda est, loquendi facultas oratio: cuius quanta sit & uis & suauitas, perspicue cognorim⁹, si consideremus, quantum nudus uocis humanę sonus omnem excellat musicam: quam uel in flatu, uel fidibus, aut alia arte constare uidemus. Hic uero quantum sit discriminis perspexerimus, si intelligamus omnia illa quantumuis suis illecebris demulceāt aures, non esse, nisi adumbratam quādam imaginem soni illius, quem uox nostra syncera fundit: ad quē quāto accedunt imitatione propius, hoc iudicātur naturæ sensu perfectiora. Et quidem, cum is nullo adminiculo adiuncto sit uirtutis tam efficacis, ut animum excitet, deprimat, incitet, reuocet, nunc gaudio, nunc mœrore, aliâs spe, metu aliâs impleat, & omnino tot afficiat modis, quot nobis affectus indidit natura. Principio, quid non faciat accedens eò uox certa comprehensione literarum & uerborum libere quidem profluens, sed tamen tanquam articulis quibusdam & membris distincta, & illigata neruorum uinculis? Deinde uero, ut non detur sine meri

ne mēte ſonus, quid non efficiat eodem inſuper ueniens ſententia, orationis uita? Nam uerba cor poris, ſententias animæ locum obtinere dixerimus. Hinc ille modulatiſſimus cantus, qui feras, arbores, fluuios, duriſſima ſaxa mouiſſe, & uoluptate deliniuiſſe dicitur, cum primo regnare cœpiſſet. Hinc illa flexanima ſuadela, commodius Græcis dicta πειθὼ, quam non ſine cauſa rerum re ginam uocauit Euripides. Huius diuinæ rei, hoc eſt, orationis, cum moderatrix ſit pronuntiatio, ea autem ſuos habeat ſonos, quorum naturam prima illa orationis elementa cōplectuntur. Age experiamur, poſſimus'ne aliquid inueſtigando cōſequi, quod uiam nobis aperiat ad cognoſcendum, quæ literæ ſit uniuſcuiuſq; natura, quæ uirtus, quæ formādæ uocis ratio, quæ res ad perſpiciendam orationis naturam alioqui latentē, cum ſit neceſſaria, tum ſcitu eſt iucundiſſima: vt enim medicus citra anatomiam (quam uocant) corpo ris humani & membrorum rationem cognoſcere nō queat, ita nec orationis naturā ſatis habeas exploratam, niſi facta diſſectione quadam mem bratim primo ſingula inſpicias, deinde in ipſa pri ma reſoluas elemēta. Tu uero ἐρασμιώτατε Eraſme, boni conſulas oportet, ſi amabilis tui nominis auſpicio in præſenti abuti uideamur, præſertim quum id non faciamus, ut fieri ſolet, aut patrocinij libello eblandiendi, quum talem patronum non mereatur: aut noui fauoris mihi conciliandi, cum uetus tuum erga nos ſtudium ſemper

fuerit uel nimiũ. Multo uero minus beneficij captandi causa, quando benignius mihi nõ semel fecisti, q̃ uolũtas mea tulerit. Et omnino tua in nos merita, maiora sunt, q̃ sustinere possim. Sed ista de literis tibi literariæ rei principi, eo tantum offerimus animo, quo superstitiosa, sed minime ingrata uetustas Cereri & Baccho suas primitias consecrabat, tametsi crederet eos illarum non modo non indigere, sed ut autores etiam ac datores eaũdem uenerarетur. Bene uale. Louanij. Calend. Iulij.

(+)

IACOBI CERATINI DE SONO LITERARUM, PRÆSERTIM GRÆCARUM LIBELLUS.



VI AB ALIA, QVAM HEbræorum gente, originem accepisse literas existimant, lõgissime mihi uidentur à uero recedere. Quid enim huiusmodi rerum, aut nõ post additum fuit illi nationi, aut ante primis illis generis nostri parẽtibus datum fuerat, non multo post conditum mundum, ut necessariæ artes, usus uini, nauigij, legum, & similium. Quod reliquarum gẽtium impietas non agnoscens, quiduis maluit, & quidem impudentissime, ridiculeque cõminisci quàm ueritati subscribere: ne uel sic dei nomẽ per ipsius dona, gloria illustraretur. Quicquid est industriæ necessariæ ad uitam mortalium sustinendam id à primis parẽtibus, quicquid post accessit humanitatis & ueræ elegãtiæ, ab illis equidem credo deriuatum esse in cæteras nationes, nam eam gentẽ instituisse deum ipsum ad omnem humanitatem, & rectum cultum sacra testantur uolumina. Hinc tota Asia excoli cœpta est, hinc Aegyptus literis & moribus erudita, hinc propagantibus se diuinis donis, ut fit, Græcia, & reliqua tandem Europa cœpit ijsdem frui

 bonis,

bonis, ſed eorum autore minime cognito, donec ipſe miſeratus tenebras noſtras, ſeſe nobis, per uerbum ſuum reuelaret. Sed iam rem ipſam inuenta origine aggrediamur.

A.

A Igitur, ut ordine, ita & ſoni præſtãtia elementorum eſt primum. Profertur arteria (per quam uox omnis funditur) ſpiritum continente, ore figurã (quam natura dedit) ſeruante immunem ab omni rictu, lingua pẽdula & leuiter reducta, aliâs quietem prorſus agente, per quam ſonus temperato niſu egreditur. Sed nunc breuiorem, nũc longiorem ſonum accipit, quod & reliquis duobus accidit, quæ, δίχρονα quaſi bitemporea uocant, ι & υ, cum longum habetur, omnino abſolutæ uirtutis & ſonantiſſimum eſt. Nã hic aperit os ſe liberius, & ſpiritus ſurſum uerſus, quo omnis ſonus natura fertur, palatũ petit ſono productiore. Cum in breuibus numeratur, conciſe magis pronuntiãdum unico ſpiritus ictu, arteria minus diu occupata. Hãc ancipitem naturam apud Latinos habent quinque uocales omnes, ut nunc breues, nunc longiores occurrãt. Vocalium autem ut quæque eſt optima, ita ſoni exiſtit expeditiſſimi, pleniſſimi, lætiſſimi: efficitq; ut os hilaritate quadam renideat. Bonitatẽ ſi ſpectemus, hic fuerit ordo: α, præſertim ſi lõgum ſit, η, ω, υ, ο, ε, ι. Apud Latinos, a, e modo producatur, nam breue, penultimum locum tenet, o modo longum, u, i.

B.

B Ordine quidem proximum, ſed uirtute remotiſſimũ eſt, cum inter illa numeretur, quæ ob ſoni inopiam ἄφωνα, id eſt, non ſonãtia ſiue muta nominẽtur. Eſt aũt adeo impediti, & obſcuri, aut poti⁹ nullius ſoni, ut irrito conatu laboret dum exitũ parat, & quidem fruſtra niteretur, niſi uocalis ſubueniret, quæ ueluti incluſum & uinctum eripiat ac ſoluat, quo uitio & cæteræ laborãt mutæ. Profertur ſummis labris, quæ antea comprimuntur, uocale hæſurum alioqui, & ligatum ſonum foras mittente, & uinculis liberante. Quanta hoc duritie aut mollitie fieri debeat opinor: colligi etiam poſſe ex duabus mutis φ & π inter quas eſt media, ratione συζυγίας. Qui cenſent mollius eſſe pronuntiandũ Græce quàm Latine, uideant quid præſcribant. Non aliter Græce quàm Latine eſſe enuntiandum, ego uel Cicerone teſte probaro: Is libro nono familiarium epiſtolarum, in epiſtola cui initium: Amo uerecundiam, agens de uocabulis obſcœnis, hæc ſcribit: Cum loquimur terni, nihil flagitij dicimus, & cũ bini, obſcœnum eſt: ex quibus uerbis liquet eruditiſſimum illud Ciceronis ſeculum nõ ſecus pronuntiaſſe β Græce, quàm b Latine, nam bini, quo numerum ſignificant Latini, & βίνει quod Græcis obſcœnum eſt uerbum, ita pronuntiabant, nullum ut eſſet in uocibus ſoni diſcrimen, quãquam arbitror Latinum b proferri à nobis nunc paulo durius, quàm ſatis eſt.

Γ.

Γ Profertur, lingua excitante se uersus interiorem palati partē, ubi obtusior quidā sonus retrorsus coire uidetur. Ad eundē modum finguntur κ & χ, quæ huic sunt σύζυγα, id est, coniugata, nisi quod aspiratione & tenuitate soni discrepant, Inter quæ, γ, ut uirtutis, ita & soni est medij.

Δ.

Δ Profertur illidente se lingua suprema summo oris cœlo, deinde illinc sese reijciente & sono præbente exitum circa dentes superiores, ita ut primo imos, post superiores dentes leuiter incuruata feriat. Idem fit in promendis θ & τ, quæ huic sunt σύζυγα & naturæ lege cohærentia.

E.

E Inter uocales natura non ita resonans, segnius os diducit, atq; ictu circa arteriā fertur languidiore, superiorē rictum aliquo modo deprimit, & utrinq; lingua in molares impingit. Cæterum, quia uocalis, nulla non est consonante præstantior, & litera ι non paulo plenior, quod & Cicero palàm facit libro III. de oratore.

Z.

Z Duplicem, hoc est, duorum elementorum accipit sonum, uidelicet σ & δ cuius fingēdi rationem, ex simplici est natura cognoscere, nisi q; nimius ille susurrus literæ σ, hic temperatur, fitq; multo leuior, quod & reliquis

duabus

duabus duplicibus contingit. Vnde fit ut, tametsi σ insuauem literam accipiant, soni tamen sint, ut in suo genere, laudatissimi, nam soni præstantia antecellunt omnes semiuocales, quæ inter cõsonantes dignitate præminent. Porrò ζ inter duplices, quod & Quintilianus libro duodecimo satis testatur, iucundissime sonat, adeo ut spirante illius sono ipsa oratio ueluti exhilarescens renideat, quod animaduertas in Zephyrus Zopyrus & similibus.

Η.

Η Dignitate proximum est literarum principi α, quam tamẽ facile uincit si corripiatur. Exitum habet minime impeditũ, & sonum reddit æquabili tenore linguam quiescentem transeunte, qui, quod soni propriũ est, in sublime fertur, parcius tamen os aperit q̃ α productum, unde licet cernere diuersum esse huius sonum ab iota, & esse quidem prorsus alium ex M. Varrone intelligas, qui libro secundo de re rustica, docet capras & oues Græcis fuisse dictas μῆλα, quod sonare uidẽtur mee, duplex uidelicet ee, quod quid esse dicamus nisi merum η? cuius rei ipsa etiam figura nos admonet, probabile est enim, primam eius figuram fuisse duo ε coniũcta loco istius quam nunc pingimus η, sicut in ω usu uenit, De sono nullum relinquitur dubium cum Latini semper in a uel in e longum uertant, idem demonstrant uerba μηκάδες, id est, capræ & μηκᾶν, quæ uox fictitia imitatur balatũ caprarũ, nã

ut oues bee, ita capræ mee potius uident sonare.

Θ.

Θ Cum sit ex numero mutarum, nullã habet edendi soni facultatem, nisi uocalis labrorum & dentium claustra referet, fingitur ut Δ, sed propter insitam aspirationis naturã, liberius linguam impellit uersus dentium discrimina. In huius prolatione uideo quosdam anserinum sibulum, (quẽ uocant) ambitiose nimis consectari, quem, quare magis hic requirãt q̃ in φ & χ, sane uelim audire. In usurpatione uulgariũ linguarum puta teuthonicæ uel gallicæ, idiotæ solo naturę sensu animaduertere cernuntur, ubi, & q̃ decore literæ tenui τ aspirationem addere conueniat, quod uidere liceat, conferendo scriptam eius generis dictionem, cum pronũciatione, qua ab illis promitur.

I.

I Inter uocales postremæ notæ est, cum nulla sonum ædat exilem magis, etiam tum, cum producitur, quod & Plato indicans, accõmodam ait esse ad exprimendas res subtiles & penetrabiles, quod declarãt, ut ait, ἰέναι, ἵεσθαι ac similia. Dum profertur, ictu quodam petit ultimos dentes, quos genuinos appellant, nasciturq; circa primores dentes collisio spiritus, neq; os multũ aperitur, neq; labra hoc præstant, ut os illustriore & hilariore sono renideat, Quod Vergilius habens perspectum: Olli subridẽs dixit, non illi, cum subiuncturus esset ridẽdi nomẽ, à quo natura literæ

ι est aliena. Hæc mihi causa uidetur mutatæ literæ: si enim propter magnificẽtiam solum fieret, quam postulat heroici carminis maiestas, quam causam adfert Phauorinus Gellianus, cur istuc magis fiat hic, q̃ in alijs. Huius autem literæ exilitas non ita est exanguis & tristis, ut non suo loco amœnitatis uel plurimum adducat uenusta gracilitate, qua de causa apud Latinos non raro in locum e migrat accita.

K

K Sonum concipit, eadem ut dictum est cõformatione oris, qua γ, tenuitate quam postulat excepta. In triplici illo ordine mutarum, id perq̃ pulchrum est & cõmodũ: quod natura unius literę, puta intermediæ cognita, noris item reliquarũ duarum, tenuis & aspiratæ. Hæc nostra tempora, nusq̃ magis, q̃ in huius elementi pronuntiatione discrepant, alijs ita proferẽtibus, ut interdum ad σ proxime uideatur accedere, nõ nullis sic, ut de sono τ, aliquid admixtum putes, quæ tamen prolatio, meo iudicio, cõcinnior existit superiori, & eam quidam amplectuntur lubentius, quod e Græcia qui nostro seculo ueniunt, ita sonare uidentur, quod, ut alicuius momẽti esse fateor, ita negaro esse satis ad probandum, eum esse sonum legitimum, cum Gręciæ lingua, non minus, quàm Italorum sit uastata & barbariæ contaminata. Ego naturam illius illæsam conseruari arbitror, si ubique pronuntietur, ut omnes id pronuntiant, uelint, nolint, in ipso ele-

elemēti nomine Cappa, ubi proprie uim ſoni exprimi perſpicuum eſt, ut in κῶλον, κόμμα, κάλλος, κρόκος, ubi proprietas ſoni adamuſſim obſeruatur. Neq; nos abſterrere debet, quod Latine cœlū, cœna, cingo, & eius generis plurima, ſic proferunt, ut in obſcuro ſit, niſi qs orthographiam teneat, ſit primum elementum s an c: quando id fieri uitioſe, non eſt opinor, qui dubitet.

A.

A Plenum dulcedinis & amœnitatis elemētum, mira ſuauitate auribus illabitur, Profertur lingua pulſante palatum, ore ſatis rotundo & ad hilaritatem compoſito, labriſq; minime compreſſis, libere profluentem ſonum fundens.

M.

M Compreſſis labris concluſo ore ſonum colligit in interiori oris parte, quē mugitu quodam non ſine moleſtia extrudit. Infelicitas eius potiſſimum apparet, cum claudit dictiones, quod quum Latina lingua nimis q̄ ſæpe patiatur, habetur & ipſa infelicior. Græca, cum in nulla dictione ferat, hoc etiā nomine cenſetur beatior. Huius elementi mugiētem ſonum fugientes Poëtæ Latini curant id elidendū in carmine, ſequente uocale.

N.

N Citra labrorum compreſſionē in oris interiori receſſu fingitur, ſpiritu quidē petēte nares, ſed ſono per oris exitum meāte,

quem

quem iucundum habet, & in fine suauiter tinnientem. Quare Græci lingua mortalium felicissimi, hoc lubenter suas uoces claudunt, quod Latinis rarissime contingit.

Ξ.

Ξ E' duarum literarum, κ & σ, natura tēperatur, ac sonum utriusq;, mixtū complectitur, quem adeo non habet cōtractum & ieiunum, ut uastior à quibusdam iudicetur. Eius fingendi ratio ex simplicibus colligitur, q̄ uero sit non iniucunda auribus litera Attici testantur, exactissimi omnis elegantiæ iudices, qui sæpe repudiato σ amplectūtur, ut amabiliorem ξ, nam hic, ut dictum est, susurrum illum & feritatem facta temperata deponit.

Ȯ.

O Μικρὸν ipso nomine naturæ suæ rationem indicat, etenim non tam est figura contractum, quàm sono non amplum. Dignitate antecellit, quantitate temporis sibi parem literam ι, estq; soni lætioris; os enim recludit apertius, ictum uero circa arteriam accipit pleniorē.

Π.

Π Vt est natura elementorum, quę ψιλὰ uocant, tenuem sonum sortitur, summis labris exprimitur, sonum non æderet, nisi uocalis succurreret hærenti, quod uitium & cæterorum quæ ἄφωνα uocant, cōmune est omniū,

P Secundum Platonem, est ueluti instrumentum peridoneum omnis motionis. Profert concitatius, lingua ad palatum iuxta dentes excitata, & summa sui parte, spiritum elisum uibrāte, ictu quodam tremulo, tam horrifico sono auditum exasperās, quàm λ eundem soni dulcedine blandiens demulcet, & ut naturę est impetuosæ, ita & masculi est roboris, unde & oris firmitudinem requirit.

Σ.

Σ Inelegantis & iniucundi habetur soni, sibilum potius anserum, serpentium, & similium animalium repræsentans, quàm humanæ uoci splendorem cōcilians, unde primi illi scriptores eo parcissime sunt usi, adeo ut teste Demetrio Phalereo odas totas uidere licuerit, ubi nullum inesset σ. Profertur lingua sursum adducta ad palatum, cuius medio spatio spiritus fertur, & circa dentes exilem & angustum & quodam modo tristem sibilum expellit. Verum natura eius emendatur & tanquam mansuescit in duplicibus, ζ, ξ, ψ.

T.

T Vt cæteræ multæ, ori exhibet plusculum negotij. Quod & Lucianus significans inducit literam σ obijcientem τ, quod uinculis quibusdam uocem humanam intorqueat ac dilacerare conetur, pręter soni tenuitatem formatur ut Δ: hoc elementum apud Atticos & Dores frequenter σ sua eijcit possessione, alijs quoque eadem

dem licentia molestum: Vide Lucianum ludentem in iudicio uocalium.

Y.

Y Profertur contrahentibus se utrinque labris, ubi sonus angustia quadam premi uidetur, eadem ratione fingitur u Latinis, nisi quod dum coëunt labra fiant productiora non sine suauitatis iactura, cum υ multo spiret suauius, ut mirabile sit hanc dulcedinem, aut uix, aut ne uix quidem, sed potius nullo modo, percipi, dum nunc audimus pronuntiantes uerba græca aut latina, quæ υ suo dulcissimo sono non uulgariter auribus commendaret, præsertim, cum in barbaris linguis eius pene natiuum sonum, placide fluentem frequenter percipiamus auribus, qua de causa in earum orthographia, ι græcum ut nunc uocant, passim occurrit, Ex hoc solo elemento Aristophanes in sua Pluto totum conficit uersum Iambicum trimetrum ὖὖ ὖὖ ὖὖ ὖὖ ὖὖ, quo tantum, ut ego quidem arbitror, gestum & per nares flatum exprimit, eorum, qui aliquid olfacientes, odoris genus exactius diiudicare & percipere conantur, quare clauso ore, naribus modo spiritum reuocantibus est efferendus, si tamen hoc est efferre, Et hoc qualecunque est, nonnihil faciat ad cognoscendam elementi naturam.

Φ. X.

Φ Et χ utrunque noris, cognito utriusque uel medio uel tenui elemento, non sis modo nescius accessionem fieri per aspirationem,

quæ

quæ dignitatis quendam gradum addit. Ex mutis enim primum locum obtinent, quorum dignitas aspiratione amplificatur: proximum, quę medio inter tenuem & aspiratum sono promuntur: infimum, quæ ob tenuitatem soni, gracilitatem quandam præ se ferunt.

Υ.

Ψ Duplex elemẽtum π complectitur & σ, quibus non paulo resonat plenius & iucundius. Fit miro enim modo, ut facta mixtura, alterum alterius sonum commendet: Id etiam boni accidit ζ & ξ duplicibus.

Ω.

Ω Μέγα primo pene aspectu hominem trahit in sui cognitionẽ, figuræ magnitudine, unde nomen habet, quã æquat soni amplitudo. Figura duo οο reprę sentat, pronũtiatio tantundem soni commixtum promit. Prima figura à qua nimium hactenus recessit, uidentur duo οο coniunctius posita esse in utroq; circulo superne clauso, ad quem modum etiam nunc à nonnullis effigiatur, quod eò dico, ne quis dubitet, contineri hic simplicis ο geminum sonum. Profertur ore rotundo, composito & decenti labrorum habitu, spiritu ictum reddẽte circa oris extremitatem, sono, quem habet magnificũ collecto in altiori oris recessu. Et ut ordine postremum est, ita uirtutis præstantia tertiũ sortitur locum, nullum enim elementum post α longum & η feliciò ris illo & plenioris soni habetur.

Hactenus,

Hactenus, res dum perſequimur ſubtiles adeo & minutas multorum ut fallant oculos, ſubſidio uſi ſumus eorum, qui olim in his explicandis magno ſtudiorum fructu uerſati ſunt, cum aliorum quorundã, tum maxime elegantiſſimi Demetrij illius Phalerei & Terentiani, quibus neſcio uiris quid queat inueniri acutius. In hoc quidem genere diphthongorum rationem (quod ſupereſſe uidetur, tractandum ſuſceperimus lubẽter) ſi quid extaret, quo poſſemus aliquo pacto, mentis aciẽ & cogitationes conuertere, ceu nautæ ſuum ſolent curſum ad cynoſuram aut elicem ſydera dirigere. Neq; enim ſapientis eſſe iudico, duce nemine hoc ingredi pelagus. Quanquam quæ ſit diphthongorum ratio, qui ſonus debeat eſſe, facile intelligitur, ex uocalium, unde conflãtur, natura. Vetuſtiſſimos illos duarum uocalium ſonum una diphthongo expreſſiſſe, ipſa nominis ratio abunde ſatis declarat. Succedẽtes ætates an idem obſeruarint, equidẽ addubito, præſertim cum uideã Ciceroniano tam docto ſeculo diphthongũ ει non fuiſſe pronuntiatam, ut diphthongum conueniebat, ſed ut ῑ tãtum, quod luce clarius cernas apud Ciceronem, eo loco, quem in litera β adduximus in dictionibus bini & βινει. Cumq; ex Aulo Gellio intelligamus eandem diphthongum in dictione treis & ſimilibus nihil niſi ι ſonuiſſe ex græcorum autem diphthongis, quaſdam proferunt ſua lingua, & quidem pleno ſono Galli & Germani tam inferi quàm ſuperi, non tam diſciplina, q̃

naturę ſenſu captantes,quod aures afficiat & im pleat.

Porrò ſyllabæ,literarum è quibus connectun tur, naturam concipiunt, adeo, ut inter breues, aliam contingat alia breuiorē fieri,pro literarum numero, è longis item, aliā alia,propter eandem cauſam longiorem,ſecūdum quam uarietatem, ſonorum etiam naſcitur diuerſitas, nam additis uel detractis literis, ſoni non tantum creſcūt,aut diminuuntur, ſed & uel duritie & aſperitate horreſcunt,uel mollitie & lenitate dulceſcūt, ſed hęc exemplo dilucidemus. In uerbo ὁδὸς, ο breuis eſt ſyllaba, accedente ρ, fiat ῥόδος,manet qualis ante erat, adijciatur inſuper τ, & fiat τρόπος,breuis adhuc manet.Superaddamus & tertiam literam σ,& fit στρόφος,ubi ſyllaba permanet breuis,tribus incrementis quæ manifeſte auribus percipimus acceptis.Eadē tibi ratione creſcet per gradus longa,ut longa eſt ſyllaba ὤν, creſcit, ſi dicas λὼν,fiat πλὼν,& poſtremo σπλὼν,magis atq; magis nō modo literis,ſed & ſono augebitur.Hæc,ut & omnia quæ de literis diximus,eò ſpectant, ut rebus ſtudeamus, quæ propria eloquentiæ laus eſt, uerba accommodare, ut enim nihil eſt ineptius, quàm in ſublimi dicēdi genere, uerbis uti humilibus & abiectioribus: in humili contrà,ſonantioribus & grandiloquis,ita abſurde fecerimus,ſi non,tractādo res lętas,uerbis utamur ſplēdidioribus & natura hilarioribus,ſi triſtia contrà proſequamur,non obſcuriora & minus ad iucunditatem appoſita

uſur-

usurpemus: quibus neglectis, nec ipsi elegantiorē autorem ad plenum capiemus, nec dicere quicquam dignum eruditis auribus poterimus. Atq; hic quidem est scopus & usus, si quem ista iuuabunt, fuerit huius, qualecūq; iudicabitur, opusculi, cui nihil eorum attexuimus, quæ ex Prisciano adduci posse uidebantur: Primum, compēdij studio, & quod satis ille sit studiosis familiaris. Deinde, quod ad illum ire cupiamus, sii sint, qui plura desiderent quibusdam de literis Latinis: Illud uero quod habet de uario eiusdem uocalis sono, pro quantitatis accentus, & spiritus diuersitate, ut singulæ uocales, decem aut plures accipiant sonorum differentias: illud inquam, pulchre conuenit, & conferendum duco, cum ijs quæ paulo ante de syllabis, Demetrium sequuti, tradidimus.

FINIS.

IO. FRANCISCI QVINTIANI Stoæ, de prolatione literarum.

A ſub directo memorabilis oris hiatu eſt.
B ſimul incluſis profertur utrinq; labellis.
C linguam adpulſos compellit ad uſq; molares.
D cogit ſuperos linguam contingere dentes.
E paulum preſſa profertur gutture lingua.
F labrum inferius ſuperis cum dentibus urget.
G damus extremum quũ tangit lingua palatũ.
H oritur tractis quum uentus faucibus halat.
I linguam impellit collidi dentibus imis.
K fauces formant media cum parte palati.
L facit extremum contingens lingua palatum.
M quũ fit preſſum premitur per utrunq; labellũ.
N lingua adpulſa collidit litera dentes.
O uenit, exoritur quum ſpiritus ore rotundo.
P datur eruptis ter litera quinta labellis.
Q fit in adpulſu quum ſtringimus ora palati.
R facit ut ſupero criſpetur lingua repulſu.
S quum fit peragit colliſo ſibila dente.
T linguam impulſu contactis dentibus exit.
V facit os ſtrictum: ſic promula labra fatigat.
X reddit quicquid c, atq; s, formare uidemus.
Y apprehenſis labris procedere iuſtum eſt.
Z ſepulchrales imitatur concita dentes.

Aldi

ALDI MANVTII, DE VITIATA VOCALIum ac diphthongorum prolatione, πάρεργον.




HOC LOCO NON VIDETVR SIlentio prætereundum, quod de αι diphthongo hic scribitur his uerbis: ἡ δὲ θέσει μακρὰ ἐλάττων ἐστὶ τῆς φύσει μακρᾶς. ἐπεὶ καὶ τὸ α τὸ φύσει μακρὸν μεῖζόν ἐστι τῆς αι διφθόγγου τῆς ἐχούσης τὸ ι ἐκφονούμενον. ὁ δὲ τριῶν ἔργον δύο στρατιωτῶν, ἰσχυρότερός ἐστιν ἐκείνων. Quandoquidẽ uel hinc colligi potest, ætate nostra, & maiorum ab hinc annos octingentos, ac plus eo, perperã diphthongos omneis, & pronuntiari, & pronuntiatũ esse, præterq̃ αυ & ευ apud Græcos. Nam apud nos & illas perperam. Si enim ι in αι diphthongo ἐκφωνητίον, ut supra est scriptum, uidelicet α natura longum maius esse αι diphthongo, quæ ι quod pronuntietur, habeat, perperam, ac barbare eã nunc proferimus, cum e legimus. Nam & α & ι in ea sonum habere suũ debent cõfusum in unã syllabã, ut ab α incipias, & in ι desinas, queadmodũ in αυ & ευ diphthongis facimus. Præterea diphthõgos omneis proprias hoc modo pronuntiãdum esse, patet ipso nomine: Diphthõgus enim dicitur, q̃d duos φθόγγους, hoc est sonos & uoces habeat, id q̃d & Terentianus ait his trochaicis:

Porrò uocalem secuta, uim tenet uocalium,

Et ſonos utroſq; iungit, unde diphthongos eas
Græciæ dicunt magiſtri, quòd duæ iunctę ſimul
Syllabã ſonant in unã, uíq; gemina præditæ.
At ſi αι e, οι & ει i, ου u legas, ut nũc barbare legim⁹,
non diphthongos, ſed monophthongos pronun
tiando facies: cũ ſonũ utriuſq; quæ in diphthõgo
propria eſt uocalis, iũgere debeas in unã ſyllabã.
Nam ι in οι diphthongo propria ἐκφωνούμενον dicit
à grãmaticis: contrà ἀνεκφώνητον in diphthõgo im-
propria. Atqui ſi αι e ſonat, nec α nec ι profert. υ e-
tiã in ου diphthongo ἐκφωνούμενον quẽadmodũ in
αυ & in ευ diphthõgis, eſſe debet, ut ab ο paruo in
cipias, & deſinas in υ. Sonũ autẽ ου diphthongi id
eſt u, ut nunc male pronũtiamus, υ uocalẽ apud
antiquiſſimos habuiſſe exiſtimo. Signũ eſt, q̊d
nunc quoq;, quod Græci δύο, nos duo dicimus, &
quod illi σῦς, μῦς, θύλη, ῥώμυλος, nos ſus, mus, Thule,
Romulus dicimus, & alia id genus ſexcẽta. Eodẽ
modo η & ω & ι & ο non recte pronuntiamus. Nã
η & ι proximũ, ac pene eundẽ ſonũ habere debẽt,
hoc eſt ι, ut η proferas clarius, & ſub palato, ι uero
minore ſono in gutture. Exẽpli gratia, ut η profe-
ras ut e latine loquens in dictiõe debes. ι uero, ut
e in dictionibus hiſce uulgaribus, che dice, che
pane mangia, che uino beue, cũ barbare loque-
ris, ut nũc uulgus. Sic ω magnũ proferendũ, ut in
dictione bono cũ latine nũc loquimur. Nã apud
antiquos noſtros o breue & o longũ nõ eundem
ſonũ habuiſſe exiſtimo: o uero paruũ, ut o in ea-
dem dictione bono, ſi ut uulgus dixeris, e bono
ho-

homo,&,mio amico. Sic eas literas pronunciari debere Terentianus præcipit cum dicit:.
Literã nanq; e uidemus esse ad ηta proximam,
Sicut ο & ω uidentur esse uicinæ sibi.
Temporũ momenta distant, non soni natiuitas.
η præterea non i sed e longũ sonare debere, ostendit etiã Eustathius, in Homerũ, inquiens: βῆ μιμητικὸν τῆς τῶν προβάτων φωνῆς, Idẽ, βὴ βὴ φωνῆς προβάτων σημαντικόν. καὶ φέρεται παρ' Αἰλίῳ Διονυσίῳ χρῆσις κρατίνου διαὐτῆ. ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βὴ βὴ λέγων βαδίζει. Oues uero non ui ui, ut nunc βὴ βὴ barbare pronuntiamus, sed be be balant, & est balant pro belant à βη, mutatiõe η in α dorice, ut μήτηρ mater. Vnde & id colligimus, β sic pronuntiandũ, ut b apud nos profertur, nõ ut u consonans, uel f digãma Aeolicum. Alpha igitur & beta & Græcis ipsis dicendũ, ut nos dicimus, non alphã, & uita. id, quod ex Hebræis acceptum est, qui Aleph & Beth, non uith dicunt. Sed de his in Fragmẽtis nostris longe plura. Vbi etiã γ, κ, λ, ν, sequente ι uel υ uel ει uel οι, perperam à Græcis nunc pronuntiari ostendimus, sicut apud nos, & diphthongos omnes, & c, & g, sequente i uel e, & ti sequente uocali.

FINIS.



Ex libraria supellectile gabrielis
Groti bellonari.